



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clavis Aurea Thesauri Partheno-Carmelitici, Sive  
Dissertatio Historico-Theologica, Referans atque  
Exponens Antiquitatem & originem, confirmationem ac  
propagationem, beneficia ac privilegia, gratias & ...**


**Paulus <Ab Omnibus Sanctis>**

**Viennæ Austriæ, 1669**

Pars Prima. De Institutione Confraternitatis beatissimæ Virginis Mariæ de  
monte Carmelo, primoq[ue] ejus beneficio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64293)



**CLAVIS AUREÆ**  
**THESAURI PARTHENO-CARMELITICI,**  
*SIVE*  
**DISSERTATIONIS HISTORICO-THEOLOGICÆ**  
**PARS PRIMA,**  
*De institutione Confraternitatis Beatissimæ Virginis*  
**MARIÆ de monte CARMELO, primoq;**  
*ejus beneficio.*

**CAPUT I.**

*De Beneficentia Dei erga creaturas.*



**D**EUM Optimum Maximum, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, æquali sapientiâ & bonitate omnia administrare, atq; bona sua, cum naturæ, tum gratiæ diffundere certissimum est, juxta illud Sapientiæ capite 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus.*

I.

Sap. 6. cap.

Nihilominus non omnibus æqualia bona dispensat; donorum quippe DEI mensura est amor Divinus, quo licet omnia existentia universim diligat, quædam tamen præ alijs amat: non quod hæc in æqualitas & differentia amoris se teneat ex parte ipsius actûs voluntatis divinæ, cum omnia uno & simplici actu diligat; sed ex parte objecti, seu ipsius boni voliti ab ipso creaturis quibusdam. Ita ut illas DEVS præ alijs diligat, quibus majora beneficentiæ suæ dona vult, & cõmunicat, *quamvis non magis intensâ voluntate, ut loquitur S. Thomas.*

Amor Dei erga creaturas, qualiter æqualis & inæqualis sit, exponitur. 1. p. 9. 20. 4. 3.

A

AD



2. AD dignoscendum verò in communi, quibus creaturis DEVS præ alijs hæc præstet, apposita est doctrina, quam S. Dionysius Areopagita tradit, libro de *caelesti Hierarchia*, qui perpendens, DEVM substantijs omnibus non æqualia dona & bona communicasse, imò verò quibusdam altioribus maxima, & ab alijs admodum differentia contulisse, omnem diversitatis hujus, & inæqualitatis rationem in maiorem propinquitatem & conjunctionem, quam habent creaturæ in suo genere cum DEO, sapienter refert. Aded ut creaturæ illæ, quæ DEO sunt propinquiores, & conjunctiores divinæ beneficentiæ dona copiosius receperint.

Eandem tradit doctrinam Angelicus Doctor varijs in locis, notanter verò *cap. 6. de ente & essentia* docet, *unam substantiam separatam convenire cum alia in immaterialitate, differre autem ab invicem in gradu perfectionis, secundum recessum à potentialitate, & accessum ad actum purum.* Et questione unicâ de *Scientia DEI* dicit, quod *quantum creatura accedit ad DEVM, tantum habet de esse; quantum verò ab eo recedit, tantum habet de non esse.* Et in *summa* universaliter ponit hoc principium: *Quantò, inquit, aliquod receptivum est propinquius causa influenti, tantò magis participat de influentia ipsius.*

Quib<sup>9</sup> creaturis Deus sese amplius communicarit? Regula igitur ad dignoscendum, quibusnam creaturis plenius ac perfectius dona sua DEVS communicarit, est major illarum ad ipsum propinquitas, seu accessus. Quod sanè tam in ordine gratiæ, quam naturæ videre est, & ex subsequenti discursu amplius patebit.

3. AC primo quidem in ordine naturæ *Sancti caelestium illarum naturarum ordines*, uti loquitur S. Dionysius, *majoribus ac pluribus Divinitatis numeribus ac beneficijs, quàm ea natura, que tantum in rerum natura, que rationis expertes sunt, & que apud nos ratione utuntur, aucti ornatiq; sunt.* Angeli enim naturâ suâ & gradu essentiali sunt perfectiores & excellentiores homine, adeòq; quoad potentiam naturalem, vimq; intelligendi nobiliores. Unde S. Augustinus, *Angelica, inquit, creatura, omnia cetera qua DEVS condidit, natura dignitate præcedit.* Et S. Thomas, *quantum ait, ad conditionem naturæ, Angelus est melior homine;* hujus autem majoris præstantiæ ac dignitatis Angelicæ ratio ex majori propinquitate & conjunctione ad DEVM fumitur; uti docet idem S. Thomas, his verbis: *Est talis ordo naturæ, ut unumquodq; agens naturale per prius & magis dif-*  
*fundat*

art. 3. ad 16.

3. p. 9. 7. s. 1.

Cap. 4. c. caelesti Hierarchie. Excellètia naturæ Angelicæ. lib. 11. de Civit. Dei cap. 15.

1. p. 9. 20. a. 4. ad 2. 2. 2. 9. 31. s. 3. ad 2.



fundat suam actionem ad ea, quæ sunt sibi magis propinqua, sicut ignis calefacit magis rem sibi magis propinquam; & similiter DEVS in substantias sibi propinquiores per prius & copiosius dona sue bonitatis diffundit; ut patet per B. Dionys. 7. cap. celest. Hierarch.

POST Angelicam naturam nulli DEUS tot ac tanta naturæ dona concessit, quot ac quanta homini; ejus rei argumentum evidens, vel sola potest esse animæ rationalis, qua præditus est excellentia: spiritualis siquidem est & independens à corpore in suo esse, intelligens ac volens, & ideo gratiæ, virtutum atque beatitudinis capax.

Accedunt ad hoc nobilissimæ ejus facultates, ac potentiæ vitales: sensus præsertim interni elevationes; & demum quidquid naturam ejus quæ excellit cætera animalia consequitur. Cujus quidem excellentiæ ratio similiter ex majori ad DEUM accessu, & propinquitate supra cæteras creaturas metienda est. Quod sanè vel ex eo intelligitur, quod post Angelum, qui signaculum similitudinis dicitur, homo ad imaginem DEI factus sit, quod nulli alteri creaturæ, si propriè loquamur competit; ideoque ratione hujus, propius ad DEUM Angelo excepto, quam ulla creatura, accedit, propinquiorque evadit.

POST hominem sequuntur cætera viventia, quibus DEUS perfectiora præ non viventibus naturæ ornamenta contulit. Unde habent animam diversis organis præditam pro diversitate operationum exercendarum, virtutem intrinsecam, per quam se movent, potentias vitales, aliaque ad naturæ suæ perfectionem & dignitatem attinentia, quibus cæteras creaturas excedunt; hujus verò excessus ratio pariter petenda est ex majori ad DEUM accessu, & propinquitate; magis enim DEO assimilantur viventia, & ad ejus imaginem propius accedunt, quam ea, quæ solum communiter sunt entia, juxta eundem S. Thomam: Assimilantur, inquit, aliqua DEO: primo quidem & maxime communiter in quantum sunt, secundo verò in quantum vivunt; tertio verò in quantum sapiunt, vel intelligunt.

POSTREMO sequuntur corpora cælestia, quæ supra cuncta inanimata, miris ac præclaris naturæ donis ornavit DEUS. Habent quippe imprimis formam perfectissimam totaliter eorum materiam

A 2

seu

4.

Humanæ naturæ præstantia.

Ezech. 28.

S. Thom. 1. part. 9. 93. 4. 2.

5.

In quibus animata excedant inanimata.

1. p. 9. 93. 4. 2.

6.

In quibus corpora cælestia.



4 *Dissertationis Historico-Theolog. Pars I. Cap. I.*

seu naturam perficientem, ratione cuius juxta S. Thomam 1. p. q. 70. a. 3. nobiliora sunt secundum quid creaturis animæ præditis, licet ex alio capite, uti diximus, simpliciter sint imperfectiora.

Habent præterea motum circularem perfectissimum; figuram similiter excellentem, virtutem quoque influendi & operandi admirabilem, ornamenta ex varijs stellis, ex Zodiaco circulo duodecim signis splendente, sub quo planetæ omnes incedunt: lucem inter qualitates corporeas perfectissimam: demum incorruptibilitatem competentem sibi ex principijs intrinsicis; quæ quidem perfectio & dignitas etiam ad majorem ad DEUM accessum & propinquitatem referenda est. Quippe cum cælestia corpora sint naturæ simplicis, & ab accidentibus, quibus Elementa, & mixta, non sine reali compositione subjacent, specialiter expedita, magis accedunt ad id, quod est omnino & per essentiam simplex, nempe DEUM.

In perfectione itaque naturæ DEUS est supremus Rex & Princeps, qui maxima cum perfectione, plenitudine & eminentia continet omnes rationes entis. Omnes verò aliæ creaturæ ordinantur inter se in gradu perfectionis naturalis, per majorem vel minorem rationem entis participatam ab isto summo & supremo Principe & Principio, cum ratione distantie, vel propinquitatis ad ipsum DEUM; quod sub alijs terminis Philosophia sacra explicat; majorem videlicet vel minorem perfectionem creaturæ, intrinsicè & formaliter attendi, penes aliquid intrinsicè participatum à summo Ente, per quod illi assimilatur extrinsicè; vel per distantiam à summo Ente; aut accessum seu appropinquationem ad ipsum.

7. JAM verò in ordine gratiæ idem omnino deprehendere licet. Et imprimis nulli DEUS creaturæ dona sua supernaturalia, & ad ordinem gratiæ attinentia magis, copiosiusque communicavit, quam CHRISTO Domino Servatori nostro. Cujus equidem argumentum evidens est plenitudo gratiæ quam habuit, ei propria, & quantum ad essentiam gratiæ, & quantum ad virtutem ad omnes gratiæ effectus. Hujus autem dignitatis ac eminentiæ ratio in CHRISTO Domino ex majori cum DEO conjunctione & propinquitate desumitur, fundata in unione Hypostatica; ut expressè 1. p. q. 20. a. 4. ad 2. docet S. Thomas

Unde procedat major vel minor perfectio in creaturis?

Unde derivetur plenitudo gratiæ, quæ est in Christo Domino?

Thomas



De Beneficentia DEI erga creaturas.

Thomas his verbis : dicendum, quod naturam humanam assumptam à DEI VERBO in persona Christi, DEVS plus amat, quam omnes Angelos, & melior est, maximè ratione unionis.

CHRISTUM sequitur DEIPARA Virgo, cui DEUS tot, talia ac tanta suæ beneficentiæ dona contulit, ut non tantum singulorum hominum atque Angelorum Hierarchias in perfectione, tam gratiæ quam gloriæ excedat, verum etiam probabiliter omnium omninò, tametsi simul & collectivè sumantur. Pulchrè Petrus Damianus: *Serm. de Assumpt.* Virgo, inquit, inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit. Hæc verò admiranda DEIPARÆ supereminentia similiter ex majori supra cæteras creaturas cum DEO conjunctione, & accessu pensanda est, quã quidem habet ex officio & dignitate MATRIS DEI; hæc enim conjunctio, si moraliter consideretur, & secundum omnia, quæ illi quodammodo ex natura rei debentur, & secundum ordinem Divinæ Sapientiæ est omnium suprema post unionem Hypostaticam, imò ad hujus ordinem quodammodo pertinet, atque illum intrinsecè respicit. Appositè ergo Laurentius Justinianus: *Serm. de Assumpt.* Tanto, inquit, dignitate ceteris est effecta excellentior MARIA, quanto propinquior erat VERBO. Et S. Anselmus cap. 2. lib. de excellent. virg. inquit, Hoc solum de Sancta Virgine prædicare, quod DEI Mater sit, excedit omnem altitudinem, quæ post DEVM dici vel cogitari potest. Undè non immeritò, post Augustinum, Anselmum, Ildephosum & alios, S. Thomas plenitudinem gratiæ in hac Virgine refert, & metitur ex hac conjunctione & dignitate Maternitatis Divinæ, seu MATRIS Unigeniti FILII DEI. *3. p. 9. 7. n. 10.*

8.

*Serm. de Assumpt.*  
Unde Beatiſſ. Virg. Maria?

*Serm. de Assumpt.*

*3. p. 9. 7. n. 10.*

9.

POST Christum & sanctissimam ejus Matrem, certum est etiam in ordine gratiæ plurima dona quibusdam sive Angelis, sive hominibus præ alijs DEUM contulisse. Ac primo quidem de Angelis, ita docet S. Thomas agens de ordinatione eorum secundum Hierarchias & ordines: *In societate*, inquit, *Angelorum omnia possidentur communiter*, sed tamen quedam excellentius habentur à quibusdam quam ab alijs. Expresius verò idem declarat S. Doctor tractans de eorum perfectione in esse gratiæ & gloriæ: *sicut*, inquit, *natura Angelica facta est à DEO ad gratiam & beatitudinem consequendam; ita etiam gradus naturæ Angelicæ ad diversos gradus gratiæ & gloriæ ordinari videntur.* *1. p. 9. 108. n. 2. ad 2. 1. p. 9. 62. n. 6.*

A 3

DE



IO.

*Ad Ephes.  
4. c.  
Epist. 57.  
ad Dardan.  
4. Reg. 2.*

DE hominibus verò idem expressit Apostolus inquit : *Ad Rom. 12. habentes donationes secundum gratiam que data est nobis differenter.* Et alibi : *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Undè S. Augustinus : *DEVS, inquit, etiam in quibus habitat, non aqualiter habitat. Nam undè est illud, quod Eliseus poposuit ut duplex in eo fieret Spiritus DEI, qui erat in Elia? Et undè in omnibus Sanctis sunt alij alijs sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem DEVM?*

II.

*Vnde defumatur  
gratiæ di-  
versitas in  
Angelis &  
hominib?  
1. p. 9. 62.  
4. 6. 2. 2.  
9. 24. 4. 3.*

HÆC verò prærogativa, tam in Angelis, quam in hominibus, ex majori eorum conjunctione, & ad DEUM propinquitate similiter deducitur. Etenim licet tam in Angelis, quam in hominibus, totus excessus seu quantitas gratiæ, quam præ cæteris aliqui sunt consecuti, refundi debeat in voluntatem ac motionem Divinam : adeoque major propinquitas & accessus per conatum naturalem liberi arbitrij in DEUM, non possit esse ratio inæqualitatis gratiæ ac donorum supernaturalium, seu cur nonnulli ex Angelis & hominibus majorem præ cæteris gratiam sint consecuti : nihilominus aliunde major propinquitas & conjunctio hic defumitur. In Angelis quidem ex conditione perfectioris naturæ. Voluit enim DEUS Angelis perfectioris naturæ & sibi propinquioris majus & intensius auxilium conferre, ut majorem consequerentur gratiam & gloriam, juxta ea, quæ varijs in locis docet Angelicus Præceptor.

I2.

*3. p. 9. 27.  
4. 4.*

IN hominibus verò hæc major propinquitas, ut plurimum fundatur in dignitate, seu munere ad quod à DEO assumuntur, juxta illud ejusdem S. Thomæ : *Quos, inquit, DEVS ad aliquid eligit, ita preparat & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur inveniantur idonei.* Tametsi enim dona gratiæ in se perfectissima sint, dantur tamen à DEO, ut perfectiones necessariæ ad exercenda munera, quæ ad DEUM pertinent, & juxta munerum exigentiam conferuntur. Hac enim ratione, tot gratiæ privilegia communicavit DEUS præ alijs S. Joanni Baptistæ, propter munus præcursoris ; Apostolis, propter dignitatem Apostolatus ; alijsque plurimis propter similem quandam rationem. Undè cum secundum hæc munera hominibus beneficentiæ suæ dona conferat DEUS : & juxta horum proportionem munerum plus vel minus fiant illi propinquiores : sequitur pensandam esse eorum prærogativam ex tali ad DEUM propinquitate. Quamvis etiam secundum

*Quare Apostolis & cæter. majora præ cæteris gratiæ dona collata?*



secundum orthodoxam doctrinam sumi possit hæc major propinquitas ex propria uniuscujusque dispositione & cooperatione; ita ut illi majora beneficentiæ divinæ dona percipiant, qui per conversionem perfectiorem ex auxilio gratiæ propinquiores fiunt DEO, & horum donorum capaciores, juxta illud *Jacobi* cap. 4. *Appropinquate DEO & appropinquabit vobis.*

## CAPUT II.

### De Beneficentia Beatiss. Virginis Maria in communi erga homines.

**C**ONSIDERATA DEI erga creaturas beneficentia, facile quilibet deducere poterit creaturis beneficentiæ capacibus proprium, & debitum esse ad imitationem sui Conditoris, sibi quoque conjunctioribus & propinquioribus magis benefacere; sive id fiat ex dilectione naturali, sive charitatis. Quod quidem etiam ratio suadet; enimverò quo aliquis nobis est conjunctior, eo magis ad nos pertinet & quodammodo unus nobiscum efficitur. Quemadmodum ergo dilectio naturalis, vel charitatis inclinant, ut post DEUM primò nosmetipsos amemus, adeoque nobis ipsis beneficiamus, præsertim in spiritualibus; ita etiam inclinant, ut post nosmetipsos priùs ac magis amemus eum, qui maximè nobiscum est unus, atque ad nos pertinet, eique potiùs beneficiamus. Sicut, inquit D. Thomas, *Unitas potior est quam unio, ita quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi quam quod alius associetur sibi in hac participatione: & ideo homo ex charitate debet seipsum magis diligere, quam proximum.* Et eadem quæstione: *non minus est ordinatus affectus charitatis, qui est inclinatio gratiæ, quam appetitus naturalis, qui est inclinatio nature.* Videmus autem in naturalibus, quod inclinatio naturalis proportionatur actui, vel motui, qui convenit nature uniuscujusq; &c. Oportet ergo quod etiam inclinatio gratiæ, quæ est affectus charitatis proportionetur his, quæ sunt exterius agenda, ita scilicet, ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis beneficos esse. Et inde est quod S. Doctor 2. 2. q. 31. a. 3. docet cæteris paribus magis benefaciendum esse conjunctis, quam extraneis, magisque conjunctis, magis quoque benefaciendum.

13.

Creaturæ pro suo modulo æmulari debent divinam beneficentiã.

Quis ordo in amando ac benefaciendo servandus sit?

2. 2. q. 26.

4. 4.

Ibid. a. 6.

Magis conjunctis magis benefaciendum.

ACCE-



14.

A C C E D I T alia ratio non minus efficax ; communiter enim obligantur homines speciali ex virtute diligere sibi magis conjunctos, eisque beneficentiæ suæ dona amplius exhibere , V. G. ex pietate filiali erga parentes , ex officio parentum erga filios , ex gratitudine ob accepta beneficia , ex fidelitate ob promissa facta , & ita de alijs , quam etiam rationem 2. 2. q. 26. art. 7. adducit S. Thomas : *Est, inquit, & alius modus, quo plus diligimus ex charitate magis nobis conjunctos, quia pluribus modis eos diligimus; ad eos enim, qui non sunt nobis conjuncti, non habemus nisi amicitiam charitatis: ad eos vero, qui sunt nobis conjuncti habemus aliquas alias amicitias secundum modum conjunctionis eorum ad nos, &c. Et ita ex charitate elicente, cum imperante, pluribus modis diligimus magis nobis conjunctos. Et in articulo sequenti hæc habet: dicendum, quod illi, qui sunt nobis magis conjuncti, sunt ex charitate magis diligendi; tum quia intensius diliguntur, tum etiam, quia pluribus rationibus diliguntur.*

15.

J A M verò si omnibus creaturis beneficentiæ capacibus proprium fit & debitum, sibi invicem benefacere, imò verò propinquioribus ac conjunctioribus, præ cæteris alijs, ad imitationem sui Conditoris: dubio procul convenit hoc ipsum imprimis primæ ac nobilissimæ inter omnes puras creaturas, DEIPARÆ nimirum Virgini cælorum Reginæ, cujus dilectio, adeoque actus ejus exterior, nempe beneficentia perfectissima fuit, juxta illud S. Bernardi: *Quis, inquit, dubitare poterit omnino in charitatis affectum transisse viscera MARIÆ, in quibus ipsa, quæ DEVS est, charitas novem mensibus corporaliter requievit? Et quidem beneficentiam imprimis convenire DEIPARÆ Virgini, non quomodocunque, ac prout cæteris hominibus, sed singulariter; quippe in hominibus beneficentia nõ se extendit in speciali ad omnes, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 31. a. 2. Dicendum, inquit, quod simpliciter loquendo non possumus omnibus benefacere in speciali: At in DEIPARA Virgine omnes omnino comprehendit, uti copiosè tradunt SS. Patres.*

*S. Bernard.  
Serm. de  
Assumpt.*

*Quid SS.  
PP. senserint de beneficentia  
MARIÆ?*

*Serm. de  
Nativitate  
MARIÆ.*

*Serm. de  
Verb. Apoc.  
B. Ioan.*

*Totis, inquit idem D. Bernardus, medullis cordium, totis precordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia hæc est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM. Et alibi: MARIAM, inquit, omnia omnibus facta est, sapientibus & insipientibus copiosissimam charitatis debitricem se facit, omnibus misericordie sinum aperuit, ut de plenitudine*

ejus



*De Beneficentia DEIPARÆ erga homines in communi. 9*

ejus accipiant universi; captivus redemptionem, eger curationem, trislu consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus letitiam, deniq; tota Trinitas gloriam; Filij persona carnis humane substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Et iterū alibi: Quis, o Benedicta, misericordia tua longitudinē & latitudinem, sublimitatem & profundum queat intelligere? nam longitudo ejus usq; in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoq; misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis superne invenit restaurationem: & profundum ejus, sedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem. Per Te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instaurata ruina celestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdata data.

S. Germanus DEIPARAM compellans sic inquit: Non est revera finis tuae magnitudinis, non est ulla satietas tue defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui salvus fiat, nisi per Te, Virgo sanctissima: nemo est, qui liberetur à malis, nisi per Te, o purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per Te, o castissima: nemo est cui misereatur gratia, nisi per Te, o honestissima.

Idiota vir sanctus: Thesaurus Domini est, inquit, & Thesauraria gratiarum ipsius: ceteri Sancti jure quodam patrocinij, pro quibusdam sibi specialiter commissis, plus possunt prodesse in curia Altissimi, quam pro alienis: Beatissima verò Virgo MARIA: sicut est omnium Regina, sic etiam omnium Patrona, & Advocata est, & cura illi est de omnibus; & sic non est, qui se abscondat à calore ejus; id est, charitate & dilectione ipsius.

S. Thomas: Magnum, inquit, est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando habet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum: & hoc est in Christo, & Beatissima Virgine. Nam in omni periculo potes obtinere salutem ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Cant. 4. mille clypei, id est, remedia contra pericula, pendunt ex ea. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium; & ideo dicit ipsa Ecclesiastici 24. in me omnis spes vitæ & virtutis.

Id ipsum unanimi consensu omnes ferè sancti Patres & Doctores affirmant: è quibus nonnulli eam Salutem totius mundi & Servatricem omnium fidelium: Nonnulli Radicem bonorum omnium, & Reparatricem seculorum: Alij Causam salutis universi humani generis, & Coadjutricem Christi in redemptione hominum: Quidam Fontem gratiarum & totius consolationis: Alij Fontem lucis omnem hominem illuminantis: Alij Fontem universo Orbi

Serm. de  
Zona Virg.

De contem-  
plat. Virg.  
in Prolog.

Opusc. 3.

Nota exi-  
mios ho-  
norum ac  
beneficen-  
tiæ Maria-  
næ titulos.

B

medi-



*medicinam afferentem: Alij Gaudium certum universi, vite largitricem, maledictionis interemptricem, & benedictionis conciliatricem nuncupant, alijsque sexcentis ejusmodi titulis concelebrant, quibus apertè demonstrant beneficentiam Virginis ad omnes omninò singulariter sese extendere: idque admirabili prorsus cum affectione: Nunquam enim, inquit D. Antoninus, fuit aliquis sanctus, vel sancta ita affecta ad salutem, & omne bonum populi Christiani, sicut B. Virgo Maria.*

4. part.  
Summa tit.  
25. c. 2.

16.

PETES, in quo fundetur hæc DEIPARÆ Virginis præ cæteris creaturis singularis beneficentia, & donorum collatio? RESP. Proximè quidem non in aliqua efficacia principali, vel instrumentali fundari posse, quia Beatissima Virgo non potest esse causa principalis efficiens donorum cælestium, cum hoc sit proprium solius DEI: juxta illud Jacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; neque etiam habet efficientiam instrumentalem; quia sola Christi humanitas tale est instrumentum DEO conjunctum: Sacramenta verò separata sunt instrumenta; uti egregiè explicat 3. p. q. 62. a. 5. S. Thomas.* Fundatur ergo hæc Virginis Beneficentia singularis in virtute ejus impetratoria ac meritoria, non quidem de condigno, cum ea soli Christo competat, sed de congruo. Ita ut orando & impetrando, & quàm diu fuit in via promerendo, suoq; modo mysterio nostræ redemptionis cooperando, nobis beneficentiæ suæ dona singulariter diffundat: non velut cæteri Sancti aliquibus duntaxat, sed omnibus omninò, uti modò dictum fuit. *Remotè autem seu in radice hæc Virginis beneficentia singularis fundatur in eo, quod sit Regina omnium constituta, ut suprà laudatus loco citato videtur asserere sapientissimus Idiota; vel quòd communis sit omnium & amantissima Mater, ut passim loquuntur SS. Patres: sive hoc sit, quia, cum sit Mater Christi, est etiam & membrorum ejus parens, ut vult Augustinus; sive quia culpis nostris in causa fuimus, ut ipsa in Matrem DEI eligeretur, cui debito non videtur posse aliter satisfacere, nisi maternè nos amplectendo, ut tradit Anselmus; sive quia dolores, ut parturientis sustinuit in passione Unigeniti sui, omnium nostrum salutem suo modo pariendo, ut ait Rupertus Abbas lib. 14. commentar. in Joan. c. 19. S. Antoninus & alij.*

Cap. I.

In quo fundetur admiranda Deiparæ Virg: beneficentia?

Lib. de S. Virginitat.

in Tractatu de Excellentia Virginis c. 1.

17.

DVBIO itaq; procul DEIPARA Virgo in omnes omninò beneficentiæ



*De Beneficentia DEI. erga homines in communi.* ¶¶

beneficentiæ suæ dona confert; ita tamen quod ad imitationem sui Conditoris, non omnibus æqualia dona exhibeat, sed alijs plura & majora, alijs pauciora ac minora. Ita unanimi ferè consensu SS. Patres loquuntur. Imprimis verò S. Joannes Damascenus *Oratione de dormitione B. M. V.* affirmat, quòd per Deiparam conferatur Angelis, atq; omnibus mundo sublimioribus virtutibus arcana quedam, atq; omni dicendi facultate superior lætitia, Patriarchis sempiterna oblectatio, perennis Prophetis exultatio, mundo benedictio, rebus omnibus sanctificatio, laborantibus requies, inæstis consolatio, ægrotantibus medicina, tempestate jactatis portus, peccantibus venia, ijs, qui in marore versantur, blandum solatium, omnibus poscentibus promptum subsidium, &c. Et *Orat. 2. de Assumpt.* Sanctissimam Virginem his verbis universos alloquentem inducit: *Qui morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum obliterationem, calamitatum omnium submersionem, regni calorum quietem fitit, cum fide ad me veniat, gratiaq; donum magnopere efficax & utile hauriat. Quemadmodum enim aquæ, terræ, aëris ac splendidissimi solis actio, simplex licet atq; una sit, variè tamen atq; accommodatè ad earum rerum, quæ ipsius participes sunt, naturam immutatur, fitq; in vinea vinum, in olea oleum: ad eundem modum gratia quoq; quamvis simplex & una sit, variè tamen & congruenter ad unicujusq; utilitatem, eos à quibus percipitur, beneficio afficit, &c.*

S. Bernardus loquens de aquæ ductu, per quem intelligit Virginem MARIAM: *Descendit, inquit, per aquæ ductum vena illa caelestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arenibus cordibus nostris infundens, alijs quidem plus, alijs verò minus.*

Idiota: MARIA, inquit, longè positos illuminat radijs misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem devotionem consolationis suavitate; presentes sibi in patria excellentiâ gloriæ; & sic non est qui se abscondat à calore ejus, &c. Idipsum calorum Regina S. Birgittæ revelare dignata fuit, inquiens: Aliquibus respondeo per infusiones divinas, aliquibus autem loquor secretius, sicut beneplacitum est DEO, &c.

RATIONEM verò, in qua fundetur hæc circa aliquos specialis DEIPARÆ beneficentiæ, SS. Patres non eodem modo explicant. Aliqui enim referunt hoc ad specialem quorundam erga Beatiss. Virginem dilectionem, juxta illud: *Ego diligentes me diligo.* Ita S. Anselmus *de Excellentia Virginis cap. 4.* & S. Bonaventura *Serm. 1. de Virgine To-*

*Serm. de  
Nativitate  
B. M. V.*

*In Prolog.  
de Contentis  
part. B. V.*

*Prolog. c. 8.  
v. 17.*



n quo spe- mo 3. Alij verò adscribunt illud ipsum ijs, qui speciali devotione ei-  
 cialis in dem Virgini præ cæteris famulantur; ita idem S. Bonaventura in  
 quosdam *Speculo c. 3. & Idiota loco supra citato.* Nonnulli referunt ad adoptionem  
 Deiparæ *quandam communem, qua omnes in gratia exsistentes assumit ad suam*  
 Virg. be- *hereditatem, que est hereditas Domini & æterna, juxta illud Eccle-*  
 ne centia? *siaſtici: In hereditate Domini morabor.* Ita Guericus Abbas.

*Eccleſ. c. 24.* Nos autem doctrinæ S. Thomæ insistentes, quam *precedenti capite*  
*Serm. de* *fusiùs protulimus, dicimus Virginein MARIAM ijs potissimum bene-*  
*Natiſ.* *ficientiæ suæ dona communicare, quibus ipsa propinquior & conjun-*  
*2. 2. 9. 31.* *ctior est. Verùm cum in præſenti de sola propinquitate seu conjun-*  
*art. 3.* *ctione, quam habent Confratres Beatissimæ Virg. MARIÆ de monte*  
*propofuerimus, & ex alio capite, juxta præſatum S. Doctorem, propin-*  
*quitas unius hominis ad alium poſſit attendi secundùm diverſa, in quibus sibi ad*  
*invicem communicant, ea propter relinquit, ut hanc ipsam propinquitatem*  
*ac ejus gradus declarem.*

### CAPUT III.

#### *De Beneficentiâ speciali DEIP. Virg. MARIÆ, erga suos Confratres de monte Carmelo.*

**19.** **P**RÆCLARA, compluraque hoc loco dici possent de Be-  
 Innumera, **beneficentiâ SS. Virginis MARIÆ erga sacrum suum Or-**  
 singularis **dinem de monte Carmelo: sunt enim innumera, eaque**  
 ſimâq; be- **planè singulariſſima charismata, ac beneficia, quæ huic**  
 neficiâ **sibi ſacrato Ordini munificentiffimè conceſſit. Verùm cum id ſingu-**  
 Sac. Car- **larem integrumque neceſſariò exigeret, merereturque Tractatum, &**  
 meli Ordi- **nos in præſenti de Marianis duntaxat beneficijs Carmelo-parthenijs**  
 ni contulit **Sodalibus indultis diſſerere ſtatuimus, ab illis recensendis nunc**  
 Deipara **conſultò abſtinemus. Diſſeruerunt inter cæteros de hoc argumento**  
 Virgo. **(qui conſuli poterunt) R. P. Lezana in opere nuncupato MARIÆ**  
**Patrona &c. maxime cap. V. ac R. P. Daniel in ſua fertiliſſima Vinca Car-**  
**meli &c. parte V. potissimum, & in Coronide parvatica &c. & ego ipſe**  
**ſuppreſſo nomine compendioſè admodùm in opuſculo pluries varijs in**  
**locis**



Iocis ac linguis recuso, atque inscripto: Funiculus triplex viginti quatuor precipuorum beneficiorum nodis DEIPARÆ Virg. Carmelitas suos obligans ad festum Commemorationis salemis 16. Julij vel Dominica subseq. gratitudinis ergo instituendum ac celebrandum: agamque, DEO propitio, distulius in Tractatu, cui titulus erit, Epiphania DEIPARÆ in Carmelo, live Apparitiones ac favores à Dei Parente Carmelitis exhibiti.

Supponimus inter sacras Confraternitates seu Sodalitia, quibus vel maximè sancta universalisque Ecclesia, his temporibus illustratur, circumdata varietate, numerandam esse, omnium fortè antiquissimam, Confraternitatem B. MARIE Virginis de monte CARMELO. Nec de hoc ullus ambigendi locus superesse videtur; licet enim plerique originem, & alia pieraque ad hanc Confraternitatem attinentia ignorent, de quibus, DEO favente, sigillatim & distinctè infra differemus, alij verò circa eadem gravissimè hallucinentur: nihilominus satis, superque per totum terrarum Orbem notum est, dari Confraternitatem DEIPARÆ Virginis MARIE de monte CARMELO.

ITaque ut ad alia gradum faciamus, notanda est ex D. Hieronymo, quem sequitur & refert S. Thomas, quadripartita fraternitas; videlicet, *natura*, *gente*, *cognitione*, & *affectu*. Fratres *natura* dicuntur, qui eodem paterno maternoque sanguine progeniti sunt; qualiter Esau & Jacob. Fratres *gente* vocantur illi, qui ejusdem sunt nationis, seu nativi soli, qualiter *Deuteronomij* 17. & 22. omnes Israëlitæ Fratres dicuntur. Porro Fratres *cognitione* sunt illi, qui sunt de una familia, & ex una radice prodeunt, qualiter *Genesis* c. 11. Abraham & Loth dicuntur Fratres. Loth enim non erat frater naturalis Abrahæ, sed filius fratris ejus Aran; Thare quippè genuit Abram, & Nachor, & Aran. Nihilominus quia Abraham & Loth ex eadem familia, & ex eadem radice, nempe Thare prodibant, ideo fratres *cognitione* nuncupantur. Denique Fratres *affectu* vocantur, qui singulari amoris vinculo, inter se copulati sunt, qualiter. 2. *Regum* cap. 1. David & Jonathas Fratres nominantur: & *Matthæi* 12. ac *Joannis* 20. Christus Apostolos suos Fratres appellat.

NOTANDUM est *secundò*, sanctum Prophetam ELIAM sacræ Carmelitarum Familiæ Fundatorem & Authorem, ex eadem prosapia & domo cum DEIPARA Virgine progenitum fuisse. Etenim cer-

Quàm sit antiqua Deiparæ Virg. de monte Carmelo Confraternitas?

20.

Lib. cont. Helvid. 3. p. 9. 28. 4. 3. ad 5.

Quot modis aliqui inter se Fratres dici possint?

21.

S. Elias ex eadè cum Deiparæ

B. 3

tum



V. familia  
ortum du-  
rit

tum est, & quidem de fide, Virginem ortam esse ex progenie regia, seu Davidica, uti notat S. Thomas 3. p. q. 31. a. 2. his verbis: *Sic ergo credimus nos etiam MARIAM fuisse de cognatione David, quia scripturis credimus, quæ utrumque dicunt, & Christum ex semine David secundum carnem, & ejus Matrem MARIAM non cum viro concumbendo, sed Virginem.* &c. Nec ex sola familia Davidica tuit sanctissima Virgo, sed insuper de stirpe sacerdotali seu Levitica ab Aaron sacerdote summo. Ita tradit idem S. Thomas 3. p. q. 29. a. 1. ad 4. & q. 31. a. 2. ad 2. & SS. Patres Epiphanius *Heresi* 78. Hilarius in *Mattheum*, Ambrosius in *Luceam* lib. 3. & Augustinus lib. 2. de *consens. Evangelist.* cap. 1. Quod vero S. Propheta ELIAS fuerit ex domo & familia sacerdotali tradit S. Epiphanius in *Historia de Prophet. vita & interitu.* & cum eo alij nonnulli sancti Patres. Fuisse etiam ex stirpe regia sive Davidica probatur; nam Rex Salomon dedit Achimam sive Sobac Patri sanctissimi Prophetæ ELIÆ, filiam suam Bassemathem in uxorem, illumque præsidem constituit super tribum Nephtali; uti affirmant Didacus de *Coria* lib. 5. c. 2. Alegre in *Paradiso Carmel. decor. statu.* 1. *etate.* 1. cap. 1. Michaël Munnoz in *propugnaculo ELIÆ* lib. 3. Tit. 1. Cap. 2. art. 1. num. 6. Gabriël à S. Vincentio in opere de gratia *Tract.* 3. *diss.* 10. *quest.* 5. nu. 71. ubi etiam pro hac sententia refert P. *Simonem à spiritu sancto*, & alij non pauci. Ex quo sequitur Sanctissimum Prophetam ELIAM, & Beatissimam Virginem cognatione propinquos esse, juxta dicta in præcedenti notabili. Ex quo ulterius deducitur, juxta doctrinam Angelici Doctoris 2. 2. q. 26. a. 8. Utrumque nempe sanctum ELIAM & B. mam MARIAM Virginem specialiter se invicem diligere, & multò magis quam si nulla cognatione sibi essent propinqui; quia quibus sumus conjuncti, sunt ex charitate magis diligendi; propinquitas verò ex cognatione est quædam conjunctio, & quidem talis, quæ proximè accedit ad unionem, quam secum quisquam habet, & idcirco proximè etiam accedit ad debitum propriæ dilectionis.

22.

NOTANDUM est tertio Fraternitatem quæ fundatur in affectu, præter benevolentiam, includere dilectionem charitatis, seu amorem; qui quidem amor secundum quod spectat ad appetitum intellectivum, importat, uti docet S. Thomas, quandam unionem secundum affectum amantis



mariti ad amatum, in quantum scilicet amans estimat amatum quodammodo ut unum sibi, vel ad se pertinens, & sic movetur in ipsum.

Ubi duo sunt specialiter advertenda. Primum quodocunque amans declaravit, sive expressit verbis aliquibus, vel signis, amatum quodammodo esse sibi unum, vel ad se pertinere, eo ipso colligi aperte ibi adesse fraternitatem affectus. Secundum cum in hac fraternitate, ex vi unionis affectuosæ amans moveatur in amatum, ad se, suaque bona ei communicandam, à posteriori optimè colligi, ibi specialem ac majorem affectus fraternitatem intervenire, ubi se ac sua bona copiosius communicat amans.

HIS prænotatis, facile erit declarare specialem B. mæ Virginis MARIÆ beneficentiam erga suos Confratres de monte CARMELO. Et quidem haud incongruè imprimis dici potest, eo ipso, quo sanctus ELIAS ac B. mæ Virgo MARIA cognatione inter se sunt propinqui, uti dictum est in secundo notabili, adeoque & dilectione naturali & charitatis specialiter se invicem amare: eo, inquam, ipso Confratres DEIPARÆ Virginis MARIÆ de monte Carmelo, qui ad familiam præfati S. ELIÆ suo modo velut filij & successores legitimi pertinent, specialiter etiam diligi ab eadem Beatiss. Virgine, & consequenter specialem ejus beneficentiam experiri, quandoquidem beneficentia sit dilectionis sive charitatis effectus, & actus exterior.

Quod verò dicti Confratres ad Elianam seu Carmelitanam Familiam pertineant, & sint veluti membra ejusdem mystici corporis, si non nativa & congenita, certè per adoptionem ac consertionem factis constare videtur ex ipso Confratrum nomine: & licet non sint filij naturales ac proprij, sunt tamen adoptivi & gratiosè acciti: atque ex quo per adjunctionem legitimam sunt cooptati, habentur ut Fratres Ordinis, & bonis ejus spiritualibus participant.

Fundamentum verò principalis asserti eruitur ex Doctrina S. Thomæ, qui 2. 2. q. 23. a. 1. tractans de charitate hæc tradit; *Amicitia, inquit, se extendit ad aliquem dupliciter. Vno modo respectu sui ipsius, & sic amicitia nunquam est, nisi ad amicum ipsius. Alio modo se extendit ad aliquem respectu alterius personæ: sicut si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem: ratione illius diligit omnes ad illum pertinentes, sive filios, sive servos, sive qualitercunq; ei attinentes.*

Fraternitas in affectu fundata quid includat, & unde colligatur?

23.

Confratres Marian Scapularis qualiter ad S. Eliam pertineant?

Unde



Unde cum Confratres Beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo ad S. Prophetam ELIAM specialiter, uti dictum est, attineant; ratione illius specialiter etiam à Beatiss. Virgine MARIA illos diligere sequitur, cum qua speciali, uti dictum est, & cognatione, & amicitia conjunctus est Sanctiss. Propheta ELIAS. Nec refert, quod frequenter nonnulli, ex his Confratribus sint moribus discolori, & vitæ liberioris, nam, ut tradit *ibidem* S. Thomas: *Tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amentur hi, qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offendant, vel odiant.* Idem repetit in solutione ad aliud argumentum.

*Loco sup.  
citato.*

*ibid., ad 3.*

*Amicitia, inquit, honesti non habetur, nisi ad virtuosum sicut ad principalem personam: sed ejus intuitu diliguntur ad eum attinentes, etiamsi non sint virtuosus.*

## 24.

*Specialiori  
ratione  
ad Deipara  
ram V.  
pertinent.*

PRÆTEREA si de Fraternitate, quæ fundatur in affectu, sit sermo, nullo negotio specialem B. Virginis erga eisdem Confratres beneficentiam etiam colligemus. Habemus quippe per revelationem expressam Beatiss. Virginem æstimare, ac habere hanc Confraternitatem, ut aliquid ad se pertinens, in quo, uti diximus supra, ex Sancto Thoma, ratio propria hujus Fraternitatis per affectum consistit. Quid verò hoc ipsum per revelationem cæcitus habeamus, constat ex infra dicendis, ubi de revelatione B. MARIÆ Virginis facta S. SIMONI Stock agemus, in qua quidem revelatione his verbis usa est eadem Sanctiss. Virgo conferens dicto B. SIMONI nostro proprium habitum seu signum hujus Fraternitatis: *Recipe, inquit, fili dilectissime hoc tui Ordinis scapulare, mee Fraternitatis signum.* & c. Notanda sunt hæc verba: *Mee Fraternitatis*, quibus designat Beatiss. Virgo suam esse hanc Confraternitatem, adeoque specialiter ad se pertinere.

Simile quippiam reperitur in celebri revelatione ejusdem Sanctiss. Virginis facta JOANNI XXII. Pontifici Maximo, de qua prolixius in *secunda Tractatus hujus parte* agendum erit.

Cum autem ex fraternitate seu unione per affectum amans movetur in amatum ad ei benefaciendum, uti similiter ex sancto Thoma ostendimus, & re ipsa S. Dionysius Areopagita tradit, ea de causa hanc unionem vocans *amatoriam motionem*; ex alia verò parte, prout modo dicebamus, talis fraternitas, sive unio, & quidem specialis, in casu nostro reperitur: sequitur B. Virginem, quæ hoc

*De Discipulis  
nomin.  
cap. 4.*

loco



loco, amantis nomen obtinet, beneficentiæ suæ dona hisce Confratribus suis specialiter etiam communicasse; ex vi, inquam, hujus Fraternalitatis *per affectum*, quæ quia propinquitatem suo modo inducit, juxta S. Thomam: sicut & suo modo Fraternalitas *per cognationem*, remanebit paucis expositum, quod in fine præcedentis capituli promissum fuerat.

2. 2. 7. 34.  
art. 4.

Ut autem magis pateat specialis hæc beneficentia, lubet in hoc Tractatu in particulari declarare beneficia, quæ sanctissima hæc Virgo liberalissimè eidem suæ Confraternitati de monte Carmelo cōtulit, ideoque in hac *prima parte* de primo & potissimo ejus beneficio agendū erit.

## CAPUT IV.

### De Origine Confraternitatis Beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo in Oriente.



**N**TEQUAM ulterius progrediamur, observandum est Patribus nostris adhuc in Oriente commorantibus, & multis ante eorum in Europam transitum sæculis, fuisse in usu vestem illam religiosam, quam **SCAPULARE** nuncupamus. Patet hoc imprimis ex D. JOANNE XLIV. Patriarcha Hierosolymitano, qui in libro suo de *institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium* de illa in hunc modum scribit: *Superhumeralibus*, inquit, *etiam præci vestra Religionis professores tempore legis veteris utebantur. Præceperat enim Judæis lex in quatuor angulis suarum vestium simbras, & in simbris funiculos facere, quas simbras cum funiculis dicti professores, juxta legis præceptum in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant: erat autem superhumeralis vestis sine manicis, usque ad renes descendens, in utroque latere aperta, brachijs etiam ea nudatis, cujus posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. novæ autem legis tempore huic vestis in apertura colli junctum fuit capitium, regens caput & scapulas. Quam nostræ Religionis professores (simbris & funiculis ab ea rescatis) usque nunc summa cum diligentia diebus ac noctibus indefinenter gestabant. Hactenus ille.*

Hic verò duo advertenda sunt. **P R I M U M** professores nostræ Religionis tempore legis veteris gestasse vestem quandam sine manicis in

25.

Quo tempore Carmelitæ S. scapulare gestare ceperint?

Cap. 39.  
art. 46.

Extat hic liber in Bibliotheca vet. SS. Patrum.

An & quale gestarint tempore legis scriptæ?

26.



cis in utroque latere apertam, ejus posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori; non quod illa vestis revera fuerit Scapulare, quod modo gestamus, sed ad modum & similitudinem Scapularis, uti egregiè tradit Sixtus Senensis his verbis: Ephod, Septuaginta interpretes *ἑπομίδα*, Aquila, *ἑπομίδα*, nos superhumeralè appellare possumus, quod humeris utringq; superponitur, elegans palliolum est, absq; manicis in modum monastici scapularis sine cuculla, habens humeralia duo; hoc est, constans duabus partibus equalibus quarum una tergum, altera pectus ad umbilicum usq; tegit.

*Lib. 3. Biblioth.*

*Cap. 38. aut 45. juxta nostrissimam emendationem. Doctrin. cap. 1.*

SECUNDÒ advertendum est, eisdem professores temporè novæ legis fimbrijs & funiculis ab illa veste relectis, verum & proprium scapulare gestasse, uti disertè fatetur idem JOANNES Patriarcha differens de melote; loco, inquit, *ejus tunicam lane non pretiose, sed mediocriter aspera ejusdem coloris, cujus existerat melota, subius scapulare gestare assumpserunt*, &c. Monachos Orientales in primis Ececliaz sæculis Scapulare gestasse attestatur, præter nostrum Joannem Patriarcham, S. Ephrem in *vita S. Juliani*, & S. Dorotheus, qui illud Græco nomine *analabum* appellant. Hic enim exponens vestes Monachorum sui temporis, earumque rationes & mysteria: *Habitus noster est, tunica, zona pellicea, analabus, &c.* & infra, *Habemus & analabum, id est, scapulare ab humeris pendens, &c.* Sed de hoc *cap. 8. part. VII.* sermo redibit. Idem habemus ex *vita S. ANGELI* martyris, Ordinis nostri manu scripta, quæ in Bibliotheca Vaticana Romæ asservatur, ubi dicitur de præfato S. ANGELO, & de ejus germano fratre JOANNE nuncupato: *Supra nudam carnem camisiam ferream gestabant, postea verò unam vestem laneam albam, & desuper aliam griseam cum SCAPULARI, more Monachorum.* Constat autem S. ANGELUM Hierosolymæ Carmelitarum habitum assumpfisse quadraginta septem circiter annis ante datum B. SIMONI Anglico à SS. Virgine Scapulare. Id ipsum tradunt & docent Thomas Bradleus, ex Carmelita Episcopus Norvicensis, laudatus à P. Irenæo à S. Jacobo in *Tract. Theolog. de sing. Virg. protect. pag. 4.* & à P. Daniele à Virg. MARIA in *Vinea Carm. part. 5. cap. 3. num. 794.* ubi hæc Bradlei verba ex eius *Tract. de fundat. Ord. Carm. cap. 2.* in quo agit de habitu Ordinis, refert: *superhumeralibus etiam in veteri testamento usi fuerunt ELIAS & ELISÆVS, JOAN. Baptista, alijsq; Carmelita, eorum sequaces &c.* Floruit hic tempore E-

GENII



GENII IV. P. Leo à S. Joanne in Typo vestis religiosa sect. 9. Solet etiam citari Joseph Falconius in suo Chronico Ord. Carm. alijque non pauci: estque hæc communis, magisque recepta sententia.

OBSERVANDUM est secundo in Oriente extitisse longè ante tempora B. SIMONIS Confraternitatem seu Sodalitium aliquod Ordinis nosiri. Quod ut cum fundamento stabiliatur, operæ pretium erit, Bullam SIXTI IV. in medium proferre, Apostolica auctoritate Romæ promulgatam anno 1477. hujus tenoris.

SIXTUS Episcopus servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

DVM attenta meditatione pensamus, quod gloriosissima DEI Genitrix MARIA, Virgo venustissima, & omnium virtutum floribus insignita, cujus inestimabilem pulchritudinem sol & luna mirantur, cujus precibus juvatur populus Christianus, & que florem pretiosissimum, immarcescibilem, & æternum Dominum nostrum IESVM Christum immensa sancti Spiritus cooperante virtute genuit, produxitq; sacrum Ordinem B. MARIÆ de monte CARMELO, à sancta Sede Apostolica, & pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & etiam à nobis multipliciter approbatum, quem ejusdem gloriosissime DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ speciali titulo voluit insigniri; ut ob ejusdem Virginis reverentiam Ordo ipse à Christi fidelibus, merito per amplius veneraretur, ipsiq; Christi fideles propterea à ejusdem Virginis MARIÆ suffragiis adjuti, æternæ retributionis præmia facilius consequi mererentur; dumq; sublimium dicti Ordinis utriusq; sexus personarum, virtutum merita DEO quidem grata, & in conspectu prædictæ Sedis accepta, digna memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, ac illius personas sub Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ protectione immediate existentes, ac inter ceteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholice fidei militantes, tanquam Religionis speculum & exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorumq; Prophetarum ELIÆ, & ELISÆI & Enoch, nec non & aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta ELIÆ fontem inhabitaverunt, successionem hereditariam tenentes; fructus quoq; uberes, quos dictus sacer Ordo in agro militantis Ecclesiæ, in propagatione Religionis & fidei Orthodoxæ hætenus produxit utiliter, & producit, ac in futurum producurum fore in dubitanter speramus, paternæ charitate intuemur, dignum quin potius debitum reputamus, nos ad illa debere nostros dirigere cogitatus, per quæ ea, quæ pro divini culus gloria, & dicti Ordinis incremento, ac Christi fidelium animarum salute, à quam plurimis Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris

27.

Didacus  
de Coria  
lib. 3. cap.  
5. & lib. 9.  
c. 29.

Irenæa à  
S. Jacobo  
in proleg.  
Tr. de pro-  
te& virg.  
& sect. 3.  
cap. 1.

Lezana &  
alij.

Deiparam  
Virginem  
Carmelit.  
Ordinem  
produxisse  
Sixtus IV.  
hic affir-  
mat, & il-  
lius merita  
extollit.



nostris concessa dicuntur, sublatis ambiguitatibus, quæ exinde emerfisse noscuntur, in sua integritate persistant, & tanto firmitus observentur, quanto erunt prædictæ sedis sapius munimine stabilita.

Sane sicut exhibita nobis pro parte dilecti Filij Christophori Martignoni, dicti Ordinis Generalis Magistri, ac Sacre Theologiæ Professoris, petitio continebat, licet multi Romani Pontifices Prædecessores nostri ob reverentiam gloriosissimæ & intemeratæ DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ de monte CARMELO, & singularem devotionem, quam ad illam, & prædictum Ordinem ejusdem DEI Genitricis titulo specialiter insignitum gesserunt, diversas indulgentias & peccatorum remissiones, ac privilegia & indulta ipsi Ordini, & illius domibus concesserint, quæ in eisdem domibus sunt recepta, & quorum contentia in pluribus scripturis, & dicti Ordinis Ecclesijs apertissimè reperiuntur, sub hac videlicet verborum forma.

LEO Papa IV. omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias Beatiss. DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ de monte CARMELI, hujusmodi in festis, Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Apostolorum Petri & Pauli, Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis ejusdem Beatæ DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ, Sancti Michaëlis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptista, Sanctorum martyrum Fabiani & Sebastiani, & in die Parasceves, & per octavas prædictarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis devotè visitaverint, &c.

ADRIANUS II. STEPHANUS V. SERGIUS III. JOANNES X. JOANNES XI. SERGIUS IV. & INNOCENTIUS IV. qui dictum Ordinem confirmavit, omnibus Christi fidelibus verè poenitentibus, contritis & confessis, qui prædictas Ecclesias piè visitarent, in prædictis festivitibus, & earum octavis, &c. Vel CONFRATRIAM dicti Ordinis assumerent, & eam intrarent, &c. tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt. Et post plurima alia, quæ brevitaris studio intermitto, concludit tandem, Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1477. Kalendar. April. Pontificatus nostri anno 6.

Hoc Pontificium diploma integrum refert Emman. Rodericus in suo Bullario pag. 190. edition. Antwerp. R.P. Ildephonsus à JESU-MARIA Congregationis Hispanicæ Generalis lib. de privilegijs Ord. Carmel. Vrcebsæ in Hispan. an. 1624. excuf. & ab eo scholij illustratis pag. 116. & Philibertus Fezayus in Appendice ad Controvers. 17. privileg. 2. pag. 340. qui illud reperiri affirmat in Constitut. Ord. Ioan. Soreth, & in

*Speculo*



Speculo Carmelitar. fol. 95. & apud Hieron. Sorbum Capucin. in Cöpend. Privileg. Verb. Indulgentia quoad secul. s. 32. & seqq. Vide etiam nostrum Augustinum à Virgine MARIA in Privileg. omnium Ordin. V. Indulgentia pro extraneis. Joan. Paleonydorum lib. 3. antiquit. cap. 9. & alios.

Multa sunt in hac Bulla, quæ attentius disculla non parùm splendoris Confraternitati, de qua agimus, afferunt. Verùm ut debitum servemus ordinem, singula suis proprijs locis discutienda relinque-  
mus. In præsentì solum advertendum erit, è septem mox memoratis Romanis Pontificibus, qui uti testatur SIXTUS IV. in suo diplomate, indulgentias ingredientibus Carmelo-Parthenium Sodalitium concessere, quinque priores aliquot ante seculis in Apostolica S. Petri Sede sedisse, priusquam in Europa originem haberet hæc Confraternitas per revelationem Beati SIMONIS nostri Anglici.

28.

Antiquitas insignis Senensis Cœnobij Carmelitarum.

Ex quo manifestum evadit anno 867. jam extitisse in Oriente dictam Confraternitatem; & licet verum sit, quod nonnulli scribunt de Conventu nostro Senensi in Hetruria, scilicet tempore ADRIANI II. & STEPHANI V. jam extitisse, imò præcessisse, utpote, qui fuerit fundatus anno 797. uti probant ex Chronico quodam authentico Senensi, & alijs authenticis scripturis Ordinis nostri Historiographi, maximè Lezana Tom. 3. ad an. 707. & 797. & complures ab ipso relati. Nihilominus prædicti Pontifices, non de Conventu aliquo particulari in suis concessionibus loquuntur, sed de toto Ordine, ejusq; Ecclesijs & Confratria, uti ex verborum contextu apparet. Vnde cum eo tempore Ordo noster sedem præcipuè haberet in Oriente, consequenter de ejus Ecclesijs, ac Confratria inibi existentibus sunt intelligendi, saltè primariò ac principaliter.

29.

Ex his prænotatis duplex jam oritur quæstio. Prima. Quando nam incœperit hæc Confraternitas in Oriente? Secunda. An Confratres ibidem gestarint habitum Ordinis, seu Scapulare, quemadmodum nunc in Europa gestant?

Quantum ad primum nihil certi habemus. Verum quidem est, ADRIANUM II. qui sedit anno Domini 867. fuisse è primis Pontificibus Romanis concedentibus indulgentias huic antiquissimæ Confraternitati, uti suprâ ex Bulla SIXTI IV. retulimus: similiter STEPHANUS V. qui ADRIANO III. successit anno 885. vel juxta nonnullos alter STEPHANUS ejus nominis V. dictus IV. qui successit

Vnde colligere liceat summam antiquitatem Carmelo-parthenicæ Con-

C 3 LEO-



fraternita-  
tis in Ori-  
ente?  
*Annal. Ec-  
cles. Baro-  
nij in annis  
816.*

Rejicitur  
opinio  
Bordoni  
de anti-  
quitate  
Confrater-  
nitatum.

30.

Cur non  
gestarint  
sacrum  
Scapulare,  
Orientales  
Carmelo-  
parthenij  
Confra-  
tres?

*1. 2. q. 102,  
a. 5.*

LEONI III. & sedit anno 816. Ita ut ab octingentis & amplius an-  
nis necessariò extitisse hæc Confraternitas censeatur. Caterùm dicti  
Pontifices non eam inchoarunt, aut instituerunt, sed inchoatam ab  
alijs, Apostolicis gratijs & privilegijs illustrarunt. Vnde altius repe-  
tenda est ejus origo, & principium, de quo latius, DEO favente, alibi.  
Ex his manifeste liquet, quòd parum veritati consona sit opinio Fran-  
cisci Bordoni *Tom. 3. oper. moral. Resolut. 72.* asserentis, Confraterni-  
tates nullas in Ecclesia extitisse ante Ordines Mendicantes SS. Do-  
minici & Francisci, sed primùm sub Ordinibus Mendicantibus capisse:  
si enim attestante SIXTO IV. ADRIANUS II. ann. 867. & alij  
supramemorati Pontifices tot sæculis ante exortas Religiones Mendi-  
cantes, ingredientibus Carmelo-partheniam Confraternitatem tam  
liberales indulgentias largiti sint, quomodo verum erit nullas ante  
Religiones Mendicantes Confraternitates in Ecclesia fuisse? Ex his  
quoq; patet, & eruitur summa antiquitas Carmelo-partheniæ Confra-  
ternitatis, quam ideò suprà *cap. 3. num. 19.* omnium fortè antiquissimam  
esse affirmavi.

QUANTUM ad alterum quæsitum, an videlicet Confratres no-  
stri in Oriente gestarint habitum Ordinis seu SCAPULARE? pro-  
babile videtur non gestasse subjectas ob rationes.

*Primo*, quia in Oriente non indigebant signo aliquo distinctivo,  
quandoquidem non videntur inibi fuisse eo tempore multiplices Con-  
fraternitates, seu Sodalitia, sicut hoc tempore in Europa. Quo argu-  
mento utitur S. Thomas *3. p. q. 70. a. 4.* ex S. Damasceno *lib. 4. c. 26.*  
ad excusandos Israëlitas, qui in deserto per quadraginta annos non  
sunt usi circumcissione, ut haberet Josue *5. c.* Quia, inquit, non necesse  
erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsim ab alijs populis habi-  
tabant.

*Secundo*, quia hic habitus seu SCAPULARE est signum fœderis  
& pacti singularis (de quo infra) quod contraxit Beatus Virgo cum  
Confratribus nostris in Europa: sicut proportionè servatâ, circum-  
cissio fuit signum fœderis inter DEUM & Patriarcham Abraham, ut  
scite advertit ex *Genesi 17.* S. Thomas. Vnde quemadmodum ante di-  
ctum Patriarcham non fuit necessaria circumcissio: ita neq; ante hanc  
Confraternitatem in Europa institutam, videtur fuisse necessarius di-  
ctus habitus seu Scapulare pro iisdem Confratribus.

*Postremo*,




Postremo, quotiescunq; meminerunt hujus Confraternitatis Summi Pontifices, qui eam in Occidente varijs Apostolicis indultis, & gratijs illustrarunt, uti CLEMENS VII. GREGORIUS XIII. & PAULUS V. semper in suis Apostolicis Bullis seu Diplomatum exhibent hujus habitum seu Scapulare; secus verò illi, qui eandem in Oriente similibus gratijs ornarunt: uti videre est in Bulla superiore SIXTI IV. ex quo præsumendum videtur ac deducendum, solitum non fuisse dictum habitum gestari in Oriente à Confratribus nostris. Quamquam alijs illis contingere potuisset hoc ipsum, quod Religiosis nostris, qui dictum habitum etiam in Oriente gestarunt, uti supra ostensum fuit; ad eum modum, quo de Iride seu arcu cælesti loquuntur Doctores in illud Genesis: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit in signum fœderis. Ponam, inquit, non absolute, ut existat, quandoquidem præcesserat jam pridem arcus cælestis diluvium; sed ut modò sit in signum fœderis, quod DEUS hic contrahit cum Patriarcha Noë, &c. cujus ante signum haud erat.*

In quo Marianum Scapulare cum arcu cælesti conveniat?

## CAPUT V.

### De Origine ejusdem Mariana Confraternitatis ac propagatione in Europa.

TRANSITVRO Sacro Carmeli Ordine in Europam ex Syria, alijsq; Orientis partibus, ob Barbarorum continuas infestationes, gravissimasq; persecutiones, uti S. Cyrillus III. à S. Bertholdo dicti Ordinis Generalis, oraculo didicerat divino, præmissi sunt aliquot è monte CARMELO Religiosi, primò quidem in Cyprum, deinde in Angliam, & alias Europæ partes: sive aurem hoc contigerit circa annum Domini 1191. juxta supplicationem Polydori Virgilij, quando Richardus Anglorum Rex, absolutâ sacrâ expeditione, è terra sancta rediturus in Angliam, solvit Accone: sive potiùs ac veriùs aliquot post annis, videlicet 1212. ut tradit Thomas Bradlaus, sive Scropus Episcopus Dromorensis in Hibernia, *Tract. de fundatione, antiquitate, &c. Ord. Carmelitarum cap. 2.* Catalogus Scriptorum Britannicæ, Magnum speculum Ordinis, fol. 60. alijsq; complures Ordinis Historiographi. Certum nihilominus est Marianum nostrum Ordinem majori ex parte perseverasse in CARMELO monte,

31.

Carmelita gravissimas à Sarracenis in Oriente persecutiones patiuntur. *in Hist. Anglican. lib. 14.*

Quo tempore in Occidentem migraverint à



monte, nativo solo, alijsq; Provincijs Orientis usq; ad ultimam & totalem ruinam civitatis Aconensis, quæ contigit circa annum Domini 1290; tamen, uti dictum est, aliqui, maxime ex partibus Occidentis oriundi, qui in CARMELO parthenium S. ELLÆ assumpserant institutum, jam ante in Europam transferint.

B. SIMONIS STOCH compendiosum elogium ex Paleouyd.

Non absumili encomio illum extollit Abraham Bzovius Tom. XIII. *Annal. Eccl. ad an. Christi 1217. n. 13.*

32.

*lib. de Scapulari Mariano. 1. part. cap. 1.*

S. Simon Stoch nobili, sive Regiâ, juxta alios, prosapiâ in Anglia ortus.

*lib. de Noë cap. 4.*  
Fuit ab infantia cul-

*Fuit autem in diebus illis, ut verbis Paleonydori utamur, in Anglia quidam solitarius in trunco solus residens, DEO acceptissimus, nomine SIMON, natione Anglicus, spiritu Prophetia clarus. Hic prænoscens Carmelitarum in Angliam adventum, dimissa solitudine, regnum Anglicanum, velut sidus, verbo pariter & exemplo illustrans, perambulabat. Hic post assumptionem Ordinis nostri habitum, in tantum scientia & vita cæteros fratres præcivit, ut in Capitulo Generali in Anglia celebrato, in Generalem Ordinis Priorem eligeretur. Erat enim compositis moribus, charitate fervens, in societate mansuetus, foris ad patientiam, ad miserandum pronus, eloquentissimus, tam vehemens, tam efficax quoq; divinorum eloquorum enucleator, ut Anglorum animos à vitijs ad virtutes mirabiliter commutaret. In judicio certus, & eloquio modestus, strenuus in agendis, humilibus & minoribus se blandum, pœnitentibus benignum, rigidum superbis, & inflexibilem reddens obstinatis. Fuit autem electus ultimo anno INNOCENTII Papæ III Et hæc quidem Paleonydorus lib. 3. de antiquit. & sanctimonia Eremitar. mont. Carmel. Cap. 7.*

QUIA verò ab hoc sanctissimo, laudatissimoque viro inchoata aut propagata fuit Mariana Confraternitas Ordinis nostri in Europa, de quo in hoc capite inquiritur: ideo ad plenioram rei intelligentiam, operæ pretium erit vitam ejus sanctissimam, è pluribus ac probatissimis quibusque authoribus, à R. P. Theophilo Raynaudo collectam, compendiosè referre.

Natus est B. SIMON in majoris Britannicæ toto Orbe divisæ Provincia, cui nomen *Cantia*. Parentes habuit genere nobiles. Nec defuit, qui pro usu aliquorum, insignes quosque gentis viros à Regia necessitudine celebrandi, eum in Regiam prosapiam transcriberet. Quod tamen decus carnis hominibus magnum, sanctis DEI nullo est loco; qui sciant veram nobilitatem non ad majorum apices, etiam regios, esse admetiendam: sed ad virtutes, quas interni hominis sublime genus atque prosapiam indigitavit S. Ambrosius. Cœlestem hanc nobilitatem exhibuit, jam ab infantia B. SIMON, animo jam tunc ad divina propensissimo; & secundum DEUM B. MARIÆ,



**RIÆ**, Matris eunctorum viventium, studiosissimo. Vix duodennis, exemplo Baptistæ, è paternis laribus secessit in Eremum: ubi domus illi fuit cavus arboris truncus, vnde illi cognomentum *Stock*: quæ vox, Britannis *truncum* sonat. Arborem produnt fuisse quercum annosam; cujus cavum cum adjacente solo, dumis aculeatis inhorrescebat. Hæsit eo in loco vir DEI per annos non paucos, herbis in solo inculto spontè nascentibus, ac pomis sylvestribus famem sedans: sitim verò restinguens frigidâ, ad testandam DEI magnificentiam (ut Philo *a.* disserit) etiâ in avia eremo ac tesquis scaturiente. Fuit etiam cum allato per canes venaticos pane (Angelicâ haud dubiè instigatione Homini DEI prospiciente) cibaretur. In ea escarum terrestrium tenuitate vel jejunitate, interiorum hominem opiparè saginabat, dulci orationis propè assiduo pabulo mentem nutriens: & jugis in cælestibus epulis per illustrationes divinas & benedictiones dulcedinis, quibus suavissimè perfundebatur; pensante DEO, de more, corporeæ tractationis imbonitatibus refertæ, damnum. Angeli super B. SIMONEM ascendentes ac descendentes, cavum illud frequentabant: & docente sanctum suum DEO, mixta ex mortali homine & immortalibus illis spiritibus schola constabatur; ut à Salviano *b.* de Moyse in Sina cum DEO colloquente, est proditum.

Quantæ capacitatis dicemus fuisse illud arboris cavum, non SIMONEM modò inquilinum: sed ipsum quoque DEUM & tot Angelicas turmas excipiens? Abietem tantæ crassitudinis, ut quatuor ulnas complectentium impleret, & æqualis propè crassitudinis cedrum Cypriam, Plinius *c.* describit. Qui item prædonum Germanorum, singulis arboribus cavatis homines ad triginta ferentibus navigantium, vastissimas arbores memorat. Vix tamen aliquo sit loco ea vastitas præ amplitudine illius apud *d.* Indos occiduos castaneæ; quæ textor cum tetrina sua, totoque opificij apparatu inhabitabat: e jusque concavum Equites octoni subibant, indeque nullo suo obstaculo prodibant; tanta erat vastissimæ arboris cavitas. Sed ego amplio rem supra omnem comparisonem fuisse dixerim quercum illam; quæ sedem in ea SIMONE figente, DEO & cælestibus Aulicis proRegia fuit, instructa contra Satane acies propugnaculis; qualis illa apud Prussos patentissima quereus, præsidio firmata, & bellicis munimentis, validæ arcis instar, in longam belli remoram instructa, ut

D

memo-

tui Deiparæ impensè addictus. Duodennis in eremum secessit.

Vnde cognomen *Stock* illi ad hæserit? Herbis ac pomis sylvestribus famem sedat: & sitim aquâ restinguit. *a. Lib. 1. c. 16. legor.*

Nonnunquam cælestis illi de pane propiciatur.

Angelorum consortio frequenter perfruitur. *b. Lib. de provident.*

Nota mirandam quarundam arborum crassitudinem.

*c. Lib. 16. c. 40.*

*d. Acofta lib. 4. Hist. Ind. c. 30.*



*In Europa*  
*cap. 29.*

*Elias Sche-*  
*dm de Dijs*  
*German.*  
*Syngram. 2.*  
*c. 24.*

memorat Æneas Sylvius. In sua quereu longè alias acies fregit SIMON. Verè *Sanctiva* quereus, non illa Dryadarum ac Dryadum, execrandis sacrificijs dehonestata: & inde à rusticis (ut lex Luitprandi loquitur) nomine *Sanctiva* donata. Ne cujus verò fides titubet, circa SIMONIS in trunco commorationem diuturnam, procul ab omnibus suppetit exemplum asferre. Gerardus ex Diœcesi Colonienfi profectus in Ægyptum de consilio B. Lydvine, ibi reperit in vasta Ere-mo, cellulam in arbore structam, quam incoluit per annos 17. in rerum omnium caducarum egestate, sed in ubertate celestium deliciarum. Vix sit reperire aliquid affinius ijs, quæ de B. SIMONIS seculo scribuntur. Lege sis Acta B. Lydvine lib. 2. cap. 11. Sanctus item Bæ longè ante tempora B. SIMONIS in saltu Beth, annosæ fagi veluti alvum, in modum fornicis cameratam, quæ hominem certum possit excipere, tanquam locum ab Angelis sibi præparatum, inhabitare delegit, ut scribit in *ejus Actis* Theodoricus S. Trudonis Abbas, & ibi diutiùs hæssisset, nisi populorum frequentia illuc adventans, virum DEI captare sedem quietiorem coëgisset. B. SIMON nemine interpellante, cavum quod subierat, quietè incoluit & longè diutiùs.

33.

Adventus  
Carmeli-  
tarum in  
Angliam,  
divinitus  
SIMONI in-  
notescit.  
Eorù san-  
ctimoniã  
illectus, ijs  
aggregari  
postulat.  
Palæstinã  
petit loca  
sancta re-  
ligiosè lu-  
straturus.  
In Carme-  
lo delite-  
scens man-  
nã calcã

JAM complures annos in suo cavo hærentem SIMONEM, DEIPARA edocuit de adventantibus in Angliam è Palæstina Fratibus suis Filijsq; SS. vatis ELLÆ: magnã viris sanctimoniã & religione, in quorum cœtum cooptari ipsum placeret. Itaque de trunci suo cavo egressus, ad eos visendos festinavit. Nec longã cum eis assuetudine, adeò illos sibi devinxit, adeò ipse captus est eorum alloquijs, ut ad eos aggregari expetierit, & exoraverit. Aggregatus autem Spiritum DEI, quem per tempus diutinæ secessionis plenè hauserat, effudit in proximos; discurrens quaquaversum in magnum animarum bonum, & non exiguam dilatationem Ordinis Carmelitani; qui propterea SIMONIS præsertim operã, per Angliam universam optimo odore fragravit. Cùm verò subijssset animum sancta cupiditas, adorandi in loco, ubi steterunt pedes Domini, cum bona Majorum venia, migravit in Palæstinam. Spelæum Bethleemiticum, & sanctum Golgotha, & loca cætera Christi vestigijs signata, religiosè lustraturus. Quam universam peregrinationem, ex quo è navi exscendit, obivit nudipes. Passus animo locorum sanctorum cardinalibus Christi operibus illustrium conspectu, CARMELUM subijt; ubi per annos aliquot, in exi-  
gua



qua cella conclusus delituit, cælesti manâ per DEIPARAM sexennio refectus, ut graves Scriptorum à Delrio . notati prodiderunt.

Ibi velut manucodiata & avis cæli mystica, vitam exegit sanctissimam: multus imò totus, cum DEO ac Cælitibus, mundo nullus; donec inde digressus, & in Occidentem regressus, pristina amplificandæ apud proximos divinæ gloriæ studia resumpsit. Et extitit fructus laborum commensus zelo hominis DEI, cujus verba erant veluti stimuli, & quasi clavi in altum defixi, juxta b. Sapientem. Vnde non mirum quòd tantus fieret ab eo motus animorum, & tanta morum compositio in Auditoribus consequeretur.

Magnum quoque inde Ordini Carmelitano ornamentum accessit, imò & præsidium eo tempore peropportunum; ut præsertim depressum est in ea procella, quæ sedente ad Ecclesiæ clavum Honorio III. in Carmelitanum cœtum detonuit. Patres enim in Oriente, quidem perspectissimi, at in oris Occiduis vix noti, & pro recens exortis habiti, non levi turbine sunt exagitati; quasi peccassent in sanctionem Concilij Oecumenici, ob inductum citra assensum Pontificis Ordinem novum, cui extremum imminerebat periculum; nisi HONORIUS per visum à DEIPARA edoctus, & de exitio crastinò duorum ex ardentioribus Ordinis hostibus admonitus, omnes obices perripisset, & urgenti negotium SIMONI confirmationem Ordinis pro voto concessisset; demiratus Viri pietatem, ac cælestem sapientiam.

Vnde litteras sciverit, qui non didicerat vel cavo abditus, vel in cella conclusus, vel gyrans per provincias, & in modum fulguris coruscantis discurrens; si quis in controversiam vocet, recolat *Quædam* illos, de quibus Raynaudus in *Bernardo Ape Gallix*, & in *Symbolis Antonianis*. Ijs annumeratus SIMON, quomodo Sapientiam citra humanum studium comparatam obtinuerit, dubitatione vacabit. Fuisse verò à Theologica doctrina optimè constitutum, idque apud omnes fuisse compertum, monstratur ex laurea Doctoris, quam in Oxoniensi Academia emeruit; cum urgentibus Sodalibus ad acceptandum illud publicum Doctrinæ testimonium, à lubentissimis Academiae Magistris delatum, juvandis cum majori authoritate proximis, ad mittendum censuit. Quid quòd emissis quoque in publicum Libris, inter Scriptorum Ecclesiasticos celebritatem est adeptus? Recensentur hæc B. SIMONIS Lucubrationes publico datæ apud Pitæum.

D 2

Canones

à Deipara reficitur.

a L. 2. Mag. disq. c. 21. in fin.

34.

Redit in Angliâ, & mirè DEI gloriâ animarumq; salutem promovet. b. Eccles. 12 Deiparâ cælitus jubente Honorio III. Carmelitarum Ordinem confirmat. Ejus æmulî repentinâ morte divinitus plestuntur.

35.

Cælitus doctissimè evasit.

Ac complures libros conscripsit.

Lib. de Scrip. provib. Anglic. ad an. 1265.



Canones cultus divini, libro uno comprehensi: Homiliarum ad populum de Christiana poenitentia, volumen unum: Vnum item Epistolarum ad Fratres: Ad Christiparam Virginem Antiphona.

278. 11.

Collat. 14.  
cap. 16.

Verum laus doctrinae, nisi accedat vitae integritas & nitor, sordet apud DEUM, & ex Spiritus sancti oraculo, *circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & formosa*, id est, interprete Cassiano, qui animae ex scientia cultum in compositis moribus dehonestat, non secus facit, quam sus immunda aureum circulum naribus applicitum, in volutabro luti demergens, ac foedè conspurcans. Ideò SIMON eruditionem sacram, quā prænitebat, gemma sanctimoniae, quam studiosè in oculabat; tum demum commendabilem ratus esse sapientiam, cum morum compositione, & virtutum radijs colluceret; qui fuit semper sensus Sanctorum omnium verèque Sapientum.

36.

Eligitur in  
Generalè  
Ordinis.

PRÆ tam clara apud omnes fama sanctimoniae, tantà luce sapientiae, tanto divini honoris studio, & de sacri Ordinis profectibus sollicitudine, homo octogenario major, cum Generalia Ordinis Comititia haberentur, in Anglia, circa annum 1245. variant enim Auctores de hujusmodi Comitiorum tum tempore, tum loco. Ut ut sit in ijs Comitijs SIMON non admodum longo tempore intra sacrum Ordinem exacto, ut qui impleisset tempora multa, electus est in moderatorem Ordinis Generalem, magnâ omnium consensione, uno ipso deprecante sarcinam, & quantum potuit satagente pro retinenda loci sui humilitate.

Legum Regularium observati-  
onem, &  
Deiparae cultum apud omnes sibi subditos mirificè promovet.

A Deipara singularis benevolentiae suae in suum Or-

doctus ad Ordinis fastigium expolire, & componere in sacro Coetu omnia, & ad Majorum sanctam aemulationem opportunè, impportunè accendere universos ac singulos pro munere institit. Sed nominatim affectum erga DEIPARAM altè in suorum cordibus defigi, quantà potuit accuratone satagit. Nihil ille quidem remiserat de suo flagrantissimo in DEIPARAM studio, quod cum lacte hauserat. Attamen ex quo sacro Coetui est adscriptus, & ex quo praesertim ad ejus clavum sedere coepit; sub DEIPARÆ tutelam & se privatim, & communiter Ordinem ardentissimo studio collocavit. Ut autem Praefecto sacrae Familiae, qui vacuum nomen non portet, nullo proprio loco sunt propria commoda, praesertim sibi concrediti communis boni, fovendi & amplificandi desiderio; illud praesertim ab amantissima sibi DEIPARA assiduis precibus exposcebat SIMON, ut pius affectus sui

erga



erga sacrum Cœtum, cui ipse præerat; & munimentum tutela perpetuo exhibendæ, assignare non gravaretur. Id quod maximè optandum habuit in tot Decumanis Ordini sacro infestis per averfam nonnullorum voluntatem, quorum in dies auctior concitatio timebatur.

NON defuit clientis sui humillimis votis DEIPARA. Itaque eum SIMON Cantabrigiæ esset, anno 1251. annis jam aliquot totius Ordinis præfecturam obiens, cœlesti viso recreatus est. Obversans enim ei conspicuè DEIPARA, Angelicis stipata cohortibus, & coruscans splendore, qui solem ipsum perstringeret, auditas abs se voces renunciavit. Nec modo tutelam, qualemunque suam spondidit, sed etiam benevolentissimè professa est, ascisci à se in filios quotquot in Ordinem adscripti, vel adscribendi, aut etiam adoptandi forent. Pignus autè tam singularis benevolentie à SIMONE precante experitum esse voluit Ordinis SCAPVLARE; sic affata fufum ingenua, & præ gaudio in pias lacrymas colliquescentem SIMONEM. *Dilectissime Fili, recipe tui Ordinis SCAPVLARE, mea Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelatis Privilegium; in quo quis moriens, æternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni.*

Tanti miraculi, subjungit celebris nostri cui scriptor, Aubertus Miræus (postquam jam dictam revelationè recensuerat) *namam excepit cum admiratione Orbis universus; veritatem confirmarunt summi Pontifices non pauci, Ioannes XXII. Clemens VII. Gregorius XII. Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens VIII. &c. Sanctitatem coluerunt Reges, Principes, populi, qui in sodalitium seu Confraternitatem sacri huius Scapularis, passim in toto Orbe Christiano, non sine magno pietatis fructu curant adscribi.*

QUOD verò mox ex hoc facto, & tempore Originem ac incrementum sumpserit, sacri Scapularis Confraternitas in Anglia, & universa Europa, communis est traditio omnium Ordinis nostri Historiographorum, qui de ea scripsere, inter quos Segerus Pauli in *Chronologia vite S. SIMONIS Stock ad ann. 1251.* sic attestatur: *Ob præfatum tam nobile ac magnificum privilegium sacri habitus, siue Scapularis, quod DEIPARA Virgo S. SIMONI tradidit, per quod etiam mox eodem die illustria patrari ceperunt miracula, & vetustissima huius Ordinis Confraternitas, hæcenus B. Virginis MARIÆ de monte CARMELO nuncupata, renovari, propagari, ac*

dinam esse seram peti, & obtinet.

37.

Deipara Angelis multis commitantibus SIMONI apparuit, & sacrum eisdem SCAPVLARE confert.

Lib. de Origine & incremento Ord. Carmel. cap. 6.

38.

Ex hoc facto & tempore capit antiqua B. Virg. de monte Carmelo Confraternitas Sacri Scapularis



nuncupari,  
& mirificè  
in Europa  
propagari.

novo titulo sacri SCAPULARIS, insigniri cepit. Multi etiam Reges, ac Principes, præter vulgus innumerable, successivè eidem Confraternitati incorporati sunt: quos deinde ipsi quoque summi Pontifices, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij ex Clero plurimi sunt imitati &c. de quibus nos infra part.

v. 1. cap. 111.

Omnis  
conditionis,  
sexus & æ-  
tatis ho-  
mines, per  
omnes  
Christiani  
orbis par-  
tes, olim  
gestarunt,  
ac hodie  
gestant sa-  
crum Sca-  
pularè.

Paulus quoque Zehentner illustris Societatis JESU Theologus & scriptor in Promontorio male spei, lib. 3. paragr. 13. num. 15, id ipsum testatur, & affirmat his verbis: Notandum venit, tamen si Deipara Virgo unum duntaxat SCAPVLARE tradiderit S. SIMONI: solere nihilominus plura alia, ad similitudinem illius accepti SCAPVLARIS Ordinem Carmelitarum diversis quoque Fidelibus in Ecclesia distribuere. Atque ita fatentur statim fecisse ipsum SIMONEM, nemine reclamante: deinde posteros ejus, approbantibus etiam Pontificibus & facultatem amplissimam concedentibus, ut Carmelitæ Fraternitates sub titulo B. Virg. & SCAPULARIS ejus erigere possint. Nec tantum hodie per Italiam, Germaniam, Belgium, aliasque Orbis partes, omni ætatis, sexus ac conditionis homines gestant collo appensum SCAPVLARE; sed etiam olim quoque idem facere receptum fuit Principibus personis. Nam & S. LUDOVICVS Gallie, & ODOARDUS Angliæ Reges &c. diu noctuque hoc Mariamæ favoris insigne protasse memorant. Hactenus ille.

Priusquam verò hujus Carmelo-Partheniæ Confraternitatis privilegia, ac beneficia, atque privilegiatæ hujus vestis prærogativas & excellentias discutere exponereque incipiamus, necessarium erit, ad ad obviandum, & satisfaciendum ingenijs quibusdam tumultuosis ac pruriginosis, atque à Mariana pietate alienis, quæ omnibus concutiendis, aut novandis, quælibet audere præsumunt, partim vocando in dubium, partim falsiloquij ac figmenti insimilando, necessarium inquam, atque operæ pretium erit, cælestis visi, doni, ac revelationis B. SIMONI nostro exhibitæ veritatem ac subsistentiam examinare, stabilire ac confirmare, quod in proximis capitibus præstabimus.

Quando,  
ubinam, &  
quomodo  
obierit.  
S. SIMON  
STOCH?

Verum hoc antequam aggrediamur, juvat sanctissimum B. SIMONIS nostri decessum, locumque ac tempus ejus vel paucis subindicare. Cum ann. 1265. qui vitæ ejus (juxta P. Segeri Pauli Chronologiam) erat centesimus, pastoralis ex munere provinciæ Vasconie canobia visitaret, & Burdegalim attingisset, febris correptus fuit, in graveſcenteque morbo, sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta, morituris præberi solita, maximo pietatis sensu recepit. Prænunciatis die, horaque



raque obitus sui, adstantem sibi Religiosorum coronam verbis tenerimis, ad eximium Deiparæ, Carmeli decoris & Dominae cultum, continuuq; gratitudinis erga eam studiū, ob collatū cælitus privilegiati Scapularis donū, certissimum amplissimæ affectionis ejus in Ordinem pignus, impensissimè cohortatus est. Et ut Mariana pietatis, (cujus innumera toto vitæ decursu ijs præbuerat heroica exempla) in ipsa quoque morte exhiberet, salutationem Angelicam, sibi semper dilectissimam, resitare cœpit, ac sub illis verbis, *nunc & in hora mortis nostræ*, immaculatam efflavit animam, die 16. Maij ann. jam dicti: quam non pauci è præsentibus ibidem Religiosis à serenissima Virgine Cælitum Imperatrice iuseipi, offerri & præsentari viderunt super sanctissimæ Triadi. Idem se conspexisse testati sunt paralitici duo, illo ipso tempore ab eo divinitus curati. Alij, teste Thoma Saraceno, *informatione 20. Historie sacre de Confratr. B. M. de mont. Carmel. part. I.* conspexere animam ejus, ineffabili cum gloria, inter Angelorum agmina sælos conscendere. Remansit corpus post transitū sanctissimæ animæ, formosum, suavissimum exhalans odorem, ad cujus sepulchrum complura celebriaque postmodum patrata fuere miracula.

Refert idem P. Thom. Saracenus de Simone adhuc infante ac lactente rem planè admirandam aliasque inauditam: quod scilicet matris ubera nunquam sugere voluerit, nisi prius vidisset ipsam flexis humi genibus Deiparæ Virgini per recitationem Angelicæ salutationis honorem cultumque exhibuisse.

Comme-  
dat sibi ad-  
stantibus  
pietatem  
& gratitu-  
dinem in  
Deiparam.

Mira in e-  
jus transi-  
tu, &c.

Hæc refert  
ex Joan.  
Cherone  
Casanate  
in *Paradis.  
Carm. deca-  
statu 4.  
atq. 14.  
cap. 16.*

Nota rem  
admirandā  
de illo ad-  
huc infan-  
te.

## CAPUT VI.

*Pontificia Mariani Scapularis, S. SIMONI Stockio  
cælitus collati, comprobatio.*

**N**ONNULLIS visio ac revelatio, atque cum ea privile-  
giati Scapularis S. SIMONI divinitus donati existentia,  
& veritas sufficienter comprobari ac confirmari videtur,  
ex famæ celebritate; quæ non modo per Angliam, ve-  
rum etiam reliquas omnes Christianorum Regiones sparsa, vires ac-  
quisivit eundo, adeoque increvit, ut ad nostra usque tempora perve-  
nerit, ita ut nullum inter Catholicos sit regnum, nulla provincia,  
urbs

39.

Quam ce-  
lebris eva-  
ferit in  
universo  
Orbe Ma-  
riani Sca-  
pularis  
Confrater-  
nitas.



urbs nulla, nulla civitas, ac vix ullum oppidum, in quibus non vigeat sacrosancta Mariani SCAPULARIS Confraternitas, cum omnium plausu, ac fructu non modico. Hanc universalem famam valere amplius plusque auctoritatis habere illi credunt, quam quamlibet librorum ac rationum multitudinem: & ex hac famæ celebritate veritatem hujus apparitionis stabiliunt & confirmant, attestante *Philberto Fezayo* in duplici privilegio sacri Scapularis &c. *Privileg. 1. controvers. 8.* Joannes Paleonydorus *Lib. 3. de antiq. & sanctim. Ord. Carm. Cap. 7.* Joannes de Carthagea *Honil. 2. de B. Maria de monte Carmelo.* & Franciscus Voërius in *Horto spirituali pag. 401.*

Verum juxta receptum in Christi Ecclesia stylum, ejusmodi visa & apocalypses à Pontificibus Christi Vicarijs comprobandæ sunt. Cum ne ipsæ quidem Scripturæ (tametsi literæ de cælo ad nos delatæ juxta *D. Augustinum*) ratæ haberentur, nisi Ecclesiæ comprobatio, & (ut loquuntur) verificatio accederet. *Evangelio non crederem*, (ajebat *Augustinus sanctus*) nisi me *Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

Et Doctor gentium, quamvis non ab hominibus, neque pet. hominem, Evangelium suum didicisset, sed per revelationem JESU Christi, essetque de veritate doctrinæ, quam annuntiabat, adeo certus, ut vellet inferri anathema cuicumque secus prædicanti, vel si esset Angelus de cælo: attamen ne qua vacillandi ac nutandi causa daretur audientibus, ascendit Hierosolymam videre Petrum, & ut ab eo tanquam visibili Ecclesiæ Capite, comprobatum Evangelium, quod disseminabat, nulli pateret vel calumniæ, vel tergiversantium cavillo. Itaque similiter, tametsi, ut ferebat privata revelatio facta B. SIMONI, Scapulare Marianum erat secundum se instrumentum sacrum explorata pietatis: tamen ut quoad nos faceretur omnis ambiguitas, necesse fuit, accedere celesti illi viso, Ecclesiæ per suos Rectores, legitima comprobatio: qualem continent varia Pontificia diplomata, quæ exhibitum venio, pauca de plurimis.

40.

Recensentur Pontifices Mariani Scapularis donū ac collati-

JOANNES XXII. natione Gallus, ante assumptum pontificatum, dictus *Jacobus de Ossa*, Cardinalis Portuensis, ob exhibitam sibi DEIPARÆ visionem ac revelationem, imò ex ejusdem jussione SCAPULARE Carmelo-Parthenium, quod in suo Apostolico diplomate, incipiente *Sacratissimo uti culmine. vocat Sancti habitus signum*, anno 1317. die tertia Martij, auctoritate sua suprema communivit. Nec obest



obest quod JOANNES XXII. in sua Bulla non meminerit B. SIMONIS, ejusque visionis, ac collati eidem à DEIPARA muneris; sicut enim cum *Liberius* Pontifex à SS. Virgine per visum monitus est de constructione templi Mariani in Exquilis, quod idem visum eadem nocte *Joanni Parricio* obtigit, nihil decessit veritati visi utriusque eorum seorsum objecti, quod *Liberius* nihil à DEIPARA accepisset, de simili viso *Joanni* exhibito, neque *Joannes* de apparitione facta *Liberio*. Quare haud dubiè visio IOANNIS XXII. observata pro confirmatione Scapularis spectavit illudmet Scapulare, de quo ante annos circiter sexaginta, visum B. SIMONI objectum fuerat. De diplomate verò JOANNIS XXII. quo sacrum hoc Scapulare communivit, ejusque veritate & subsistentia in *in secunda hujus Operis parte* uberius agemus.

onè comprobantes,  
*Joannes XXII.*

ALEXANDER V. ex *Petro de Candia*, Ordinis Minorum Summus Pontifex, dato anno 1409. diplomate, quo IOANNIS XXII. autographum abs se inspectum, & diligenter recognitum testatur, ejusdemque autographi apographum verbatim exscriptum, suo diplomati inserens, veritatem visionis IOANNI objectæ confirmat, & concurrere in B. SIMONIS apparitionem, fidem facit. Ex hoc porro ALEXANDRI diplomate, liquidum esse potest diploma IOANNIS XXII. ab ALEXANDRO firmatum, non minus cadere in Scapulare, quam ipsum ALEXANDRI diploma: quod æquè dicendum est, de posteriorum Pontificum Bullis, quibus IOANNIS & ALEXANDRI diplomata memorant, sacrum Scapulare comprobando, ut mox dicemus.

*Alexander V.*

CLEMENS VII. in diplomate anno 1530. edito, & in alio, quod refert Emmanuel Rodriguez *Tom. 2. qq. Regul. q. 7.* allegat Bullas IOANNIS & ALEXANDRI, easque ratas habet, aliorumque antecessorum suorum diplomatibus easdem esse firmatas testatur. Cumque aliqui contra mustarent, & fidem diplomatum IOANNIS & ALEXANDRI vocarent in dubium, discussionem causæ Alexandro Riario Camerae Apostolicæ Auditori Generali ac Patriarchæ Alexandrino commisit; ac per hunc judicem suum delegatum, silentium perpetuum obstrepentibus indixit.

*Clemens VII.*

PAULUS III. pontificatus sui anno primo, Christi verò 1534. 3. non. Novemb. novo diplomate incipiente *Provisionis nostræ*. Cui Bullam CLEMENTIS VII. inseruit, eamque confirmavit, ac totum hoc negotium comprobavit.

*Paulus III.*

E

Idem



*Paulus IV.*

Idem præstitit, teste Raynaudo, PAULUS IV. suo diplomate IOANNIS XXII. Bullam *Sacratissimo uti culmine*, inferendo, atque Mariani Scapularis religiosam observantiam de novo confirmando.

*Pius V.*

PIUS V. *motu proprio*, ut loquitur, autoritate Apostolica approbavit anno 1566. 12. Calend. Maij per Bullam, cujus initialia verba sunt, *Superna dispensatione*, præfatorum omnium Pontificum circa hoc negotium Constitutiones, ratasque habuit &c. Diplomatis PII V. meminit GREGORIUS XIII. mox adducendus.

*Gregorius XIII.*

GREGORIUS XIII. Pontificij sui anno sexto, Christi vero 1577. verbis amplissimis Confraternitatem Marianam Scapularis commendat, in suo diplomate incipiente, *Vt laudes*. Dato Romæ apud S. Petrum die 18. Septemb. Nec tantum literas Apostolicas IOANNIS XXII. ALEXANDRI V. ac CLEMENSIS VII. in actu signato memorat tanquam legitimas, verum etiam Apostolica autoritate approbavit, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur de novo adjunxit patrocinioque suo communivit.

*Paulus V.*

PAULUS V. ab anno 1606. multiplici diplomate, prædecessorum suorum vestigijs inherendo, negotium hoc probavit, illustravit, communivit. Et cum Inquisitor Avenionensis, negotium facesseret Carmelitis circa diploma IOANNIS XXII. vetaretque proponi de sacro suggestu contenta illius, monitus Pontifex stetit pro antiqua possessione: obstrepentesque compescuit, decreto in Generali sacre inquisitionis Congregatione edito, de quo in *secunda parte* futurus disseremus.

## 41.

Idem allè-  
ritur divini  
Officij au-  
thoritate.

AD Pontificiæ seriem comprobationis, de qua nunc agimus, pertinet divini Officij autoritas à Sede Apostolica emanans, in lectionibus verò secundi Nocturni festivitatis *Commemorationis solennis B. MARIE Virginis de monte CARMELO* hæc habentur: *Nec verò nomenclaturam tantum manifestissima Virgo tribuit, & tutelam, verum & insigne sacri SCAPULARIS, quod B. SIMONI Anglico præbuit; ut caelesti hac veste Ordo dignosceretur, & à mali ingruentibus protegeretur, &c.* Hæc duo discutienda veniunt. Primum, unde præfatis lectionibus asseratur autoritas? Secundo, quam autoritatem ac fidem apud Fideles promereantur.

Ad primum Respond. Eandem prorsus lectionibus his, quæ alijs divini Officij libris autoritatem inesse. Illas quippe Sacra Rituum Congregatio pluries examinavit, probavit, dignasque censuit, quæ  
Cano-



Canonicis Ecclesie precibus inserte essent. Purpuratorum Patrum decreto accessit summorum Pontificum oraculum, primum anno 1609. die 10. Junij Ecclesiam regente PAULO V. Eminentissima sacrorum Rituum Congregatio, Præside Dominico Episcopo Ostiensi, Cardinali Pinello, detractis veteribus, præfatas ab Eminentissimi Cardinali Bellarmino diligenter recognitas & subscriptas lectiones simul cum alijs ibidem descriptis approbavit; recitandi quoque, atque imprimendi facultatem dedit. Secundo id ipsum anno 1628. die 12 Junij ab eadem Eminentissima Congregatione repetitum fuit, Claves Petri tenente Urbano VIII. Pontifice maximo.

Et Sac. Rituum Congregationis.

Quod testantur Romæ Sacræ Congregationis Ephemerides, nec non authenticæ ejusdem litteræ, tum apud Calceatos, tum apud Discalceatos Carmelitas conservatæ.

Consonant lectionibus præfatis Officij Commemorationis solemnis B. M. V. lectiones Officij festivitatis B. SIMONIS Stockij, quod Officium à ducentis & amplius annis, affirmantibus Lezana, lib. de patronatu Mariano cap. 5. num. 10. & alijs, Bui digale in usu fuit: in quo lectione VI. hæc leguntur: *Præcanti ei Devam Virginem, ut Ordinem jam confirmatum, qui sacro titulo ejus gaudet, singulari aliquo privilegio à cæteris discerneret; apparuit ipsa Virgo benedicta Angelorum multitudine comitata, tenens manibus SCAPVLARE Ordinis, dicens: Hoc eris signum tibi, & cunctis Carmelitis privilegium; quod in hoc moriens æternum non patietur incendium.*

Confirmari hæc videntur Oratione in Breviario Carmelitarum pro festo S. SIMONIS die 16. Majj apposita, & ab ipsdem Purpuratis Principibus probata & confirmata, sequentis tenoris: *Plebs Tibi Domine Virginis, Matri dicata, B. SIMONIS, quem ei Rectorem & Patrem dedisti, sollemnitate letetur. & sicut per eum tanta protectionis signum obtinuit, ita predestinationis æternæ munera consequatur.*

Suspiciabitur forsitan quispiam, me divina quasi fide, sanctam, tenendamque staturere S. SIMONIS revelationem; eo quod Romanorum Pontificum decretis probatam ac communitam affirmem: quibus errorem adscribere, vel refragari, videtur piaculum. Ego autem id minime contendam; etsi majorem ex ejusmodi decretis certitudinem, quam ex relatione privati cujuslibet Authoris, colligi velim. Hoc quippe duo evincere videntur. Primum Purpuratorum Patrum maturum examen. Alterum Summi Pontificis in tale Patrum de-

Quanta sit Romani Pontificis & Sacræ Rituum Congregationis auctoritas &



eretur consensus. Enimvero si auctoris nomen, si ingenium, si pietas atque diligentia pondus faciunt, quis suspectam habeat sententiam tot Eminentissimorum Principum munitam probatamque suffragio: qui celeberrimos quosque Theologos, Jurisperitos, aliosque viros doctissimos, in consilium adhibere consueverunt: quosque sapientia, ingenio, diligentia, imò & zelo divinæ legis, sacrorumque Rituum cæteris eminere, ut purpurâ, nescit nemo? Quis rejiciat quod *Bellarminus*, ex ipso nomine Illustrissimus, post maturum valde examen probavit, atque propria subscriptione communiavit? Num in cæteris concedemus cautos, sapientes, diligentes, in hac una visione ac revelatione dijudicanda desides, negligentes, ac deceptos; ut rem, quam non legerint, aut lectam sufficienti assertam fundamento non putaverint, suo probaverint ac confirmaverint suffragio? sanè per multa recensentur vera, quæ divinis Officijs non censentur inferenda. Ne quid verò ijs immisceatur falsi, summa est Illustrissima sacre Rituum Congregationis cura, cui hoc munus à Sede Apostolica commissum fuit.

Vide Lezanam  
Tom. 3. 99.  
Reg. Verb.  
Congregatio.

Progrediamur nunc ad assensum Pontificis, per quem Sac. Congregationis decretum (uti moris est) confirmatur. Summi Pontificis suffragium ex consensu non minus colligitur, quam si expressè & directè ea de re tulisset sententiam, juxta illud, *omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur &c.*

Idem uberiùs exponitur.

Cum ex Cathedra loquitur Sanctissimus, divina (ut docent Theologi) effatur oracula, quibus adversari impium esset ac hæreticum. Cum privatim disserit, privatim agit Doctorem, cui nihilominus auctoritatis splendor accrescit: tum ex dignitate, ad quam ij eveniunt, qui eruditione ac pietate præcellunt; tum ex copia doctissimorum hominum, quorum colloquijs, consilijsque passim utitur Pontifex.

Vide his Bellarminum l. 4. de summ. Pontif. cap. 5.

Quandonam verò ex Cathedra loquatur perdifficile videtur definire; id maximè evenire concedunt, cum mysterium divina fide tenendum proponit. Quid verò cum indulgentias impertitur, dispensationes concedit, vota relaxat, Sanctorum solemnitates instituit & officia, aliaque ejusmodi peragit? infallibilem adhuc defendit sanior, potiorque Theologorum pars, si enim in eis, quæ ad universam spectant Ecclesiam, errare possit, ruit tota Ecclesiastici Thesauri dispensatio,



fatio, singulisque aperitur via dubitandi de rebus sacratissimis, atque refellendi Summi Pontificis auctoritatem in ijs etiam, quæ Religionem, divinam pietatem, Sanctorumque cultum concernunt, quem ne abeamus in errorem, Sanctorumque apotheoses ac officia, pro arbitrio damnare liceat atque rejicere, dicendum Pontificis sententiam, præmissis potissimum Cardinalium eruditissimorum (uti hinc contigit) examine, fidem facere majorem saltem, quam si privato ab authore eadem emanaret. Inferret alius eam inde nasci certitudinem, quæ absque temeritatis nota rejici non posset: quod negare non ausim; et si id, quod puto apud omnes indubitatum, duntaxat concluderim. Consulatur noster THOMAS Waldensis Tom. 3. de Sacramentalibus. tit. 114. Cap. 122. Ubi de infallibilitate quoad Canonizationem SS. dixerit: & eodem Tom. titul. 4. cap. 37. ubi sic loquitur: *Quia claves Ecclesie ipsi (Papæ) dedit, & tantæ potestatis dominum fecit, & Religionis cultum in eo principaliter collocavit, ideo si non eximie servaretur, omnes casum ejus lueremus difficilem, &c.*

Ex jam dictis satis superque stabilita videtur Scapularis nostri cælitus facta B. SIMONI collatio. Discussam quippe, suoque firmatam decreto Sacra Congregatio, ut fit in similibus, exposuit Pontifici: Pontifex Congregationis sententiam supremam probavit, communivitque auctoritate, divino officio inferendam, atque Ecclesiasticis ab exedris recitandam proposuit. Quid plura? Authorem numerus, si moveat, Eminentissimos damus plurimos. Si gravitas? PAULUM V. & VRBANUM VIII. Summos Pontifices: aliosque appellamus, Cardinales, cæterosque Christianæ Religionis Principes viros, qui attestentur, suumque dum defendent decretum, nostrum pariter vindicabunt assertum. Nec jam amplius nostra res agitur, cum B. SIMONIS visio disceptatur; sed Summi Pontificis, ac Sacræ Rituum Congregationis disputatur auctoritas, imò totius divini officij Ritus, dispensationum certitudo, indulgentiarum, aliorumque hujusmodi impugnatur Religio: cum in ijs errare dici possint, qui in B. SIMONE, ejusque Officio asseruntur decepti. Deceptos etenim in Officio præfatio Commemorationis solemnis B. V. Pontificem & Cardinales, si objicias, deceptos ego cæterorum in Officio, cur non apponam? Recurres ad Authores, quorum ex Annalibus Sanctorum deprompserunt Historias? Quæram ego, an sine authore, eoque sufficienti, & probato id

E 3

Malden.  
de fide q. 1.  
tract. de  
Sum. Pontificis. disp. 6.  
Suarez Tr.  
1. de fide  
disp. 5. sect.  
8. n. 7.  
Duvalium  
Tract. de  
Sum. Pontificis. part. 2.  
q. 1.

42.

Præfati  
Authores  
infallibile  
faciunt Pon-  
tificem in  
ijs, quæ ad  
mores spe-  
ctant, & Ec-  
clesiam un-  
iversalè;  
maximè si  
sint ad sa-  
lutem ne-  
cessaria, vel  
per se bo-  
na, aut ma-  
la. In indis-  
ferentibus  
verò falli  
posse fate-  
tur B. Har-  
minus. Di-  
vinum autè  
officium,

asserue-



greces pu-  
blicas, &  
similia,  
quis cum  
indifferen-  
tibus cau-  
meret?

asseruerint de nostro SIMONE? Hoc si concesseris, imprudentissi-  
mos facies, quæ summa erit summam in Purpuram injuria, atq; ar-  
gumentum efficax, eandem in reliquis suscipiendi incuriam; si nega-  
veris, parem eum cæteris Sanctorum historijs (quod intendimus)  
Carmelo-Parthenij Scapularis fateberis certitudinem.

Mitto suffragari pariter gravissimorum Authorum copiam, de  
quibus inferiàs. Mitta, si lubet, primæ Sedis auctoritatem: Pontifi-  
cem & Cardinales, dignitate & infulis destitutos considero: eosdem  
tamen viros doctissimos ac sapientissimos visionem asserentes, post  
maturum examen, quis non audiat Doctores? illorum sententiam,  
privatæ facultatis decreto, aut duorum Doctorum, quis audeat im-  
parem asserere?

Ita Scapal.  
Mariano  
part. I.  
cap. 2.

Tandem ad caput Pontificia comprobationis, inquit Theophilus Ray-  
naudus, in qua versamur, pertinet Concesso largissima indulgentiarum Sodalibus  
Virginis Scapularis collatarum, quæ illecebrâ innumeri per universam Ecclesiam  
Sodales, accedente promissione à DEIPARA factâ S. SIMONI in favorem  
Sodalium, pium hunc ritum religiosè usurpantium, magnâ voluntate in Sodali-  
tium dant nomina: & observationes sacras in eo prescriptas, singulari pietate  
frequentant. Vnde potens argumentum, & meo judicio ineluctabile ducitur, pro  
veritate visionis Stockianæ, &c. Hactenus ille.

## CAPUT VII.

*Theologorum ac Historiographorum suffragijs eadem  
veritas confirmatur.*

43.  
Recensentur Theo-  
logi ac Hi-  
storiogra-  
phi ejusdè  
veritatis  
testes.

**L**EVSTRIVM Scriptorum, qui B. SIMONIS nostri  
Marianam visionem ac revelationem, privilegiatq; Sca-  
pularis traditionem probârunt, posteritati ac literis man-  
dârunt, agmen ducit Venerab. Petrus Swaningtonus, ejus-  
dem sancti Viri socius ac confessorius, natione Anglus, patriâ Nor-  
folcensis, SS: Theologiæ Doctor & Professor primùm Oxonij in An-  
glia, deinde Burdigalæ in Vasconia. Scripsit hic vitam B. SIMO-  
NIS, atque divinitus traditi sacri Scapularis, primiq; per illud pa-  
trati miraculi historiam: quam R. P. Ioannes Cheron in Vindicijs pri-  
vilegiati Scapularis pag. 165. & seqq. adducit. Hic Petrus admodum  
celebris est, non solum apud Carmelitas, verùm etiam apud Harps-  
feldsum



feldium Historiæ Anglorum sæculo 13. cap. 15. Antonium Possavinum in Apparatu Sacr. Tom. 2. Joannem Pitæum de illustr. Angliæ Scriptoribus atate 13. ad ann. 1270. qui illum eximio exornat elogio, aliõsq; non paucos. Tradit Thomas Saracenus, eum à S. SIMONE Comitijsq; Generalibus Alisfordiæ celebratis delegatum fuisse Oratorem ad INNOCENTIUM IV. Pontif. à quo non modicos, pro suæ Religionis incremento obtinuit favores, ac beneficia.

Guilielmus Coventriensis, natione Anglus, Ordinis nostri Coventriæ alumnus. Vir, verbis utor Pitæi, acutus ingenio, comptus stylo, maturus judicio, sententijs gravis, & in medicandis sacrorum eloquiorum mysterijs assiduus, in eisdem percipiendis felix, in explicandis dexter, clarus, perspicuus; quicquid protulit, eleganter locutus est; quicquid chartis commisit, polito scripsit stylo; & quibusdam interjectis subjungit: Omnia ejus scripta sonant elegantiam, redolent pietatem, ut ab eximio Religioso, scientijs instructo profecta, nemo, qui legerit & intellexerit, unquam dubitaverit. Scripsit præter complura opera à Pitæo & alijs relata, de Adventu Carmelitarum in Angliam librum unum, ac Scutum Carmelitarum libris tribus circa ann. Domini 1348. in quo SIMONIS nostri Beatissimi visionem &c. compendiò recenset. S. SIMON de Anglia, inquit, Generalis Ordinis sextus, qui DEI gloriosissimam Genitricem jugiter deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem, qui speciali gaudet ipsius Virginis titulo, aliquo communiret privilegio, dicens voce devotissimâ: Flos Carmeli, Vitis florifera, Splendor Celi, Virgo puerpera singularis, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, Stella maris. Cui Beatissima Virgo cum multitudine Angelorum apparuit, SCAPULARE Ordinis in benedictis manibus suis tenens, & dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quòd in hoc moriens æternum non patietur incendium: id est, (subjungit præfatus Guilielmus, & Joannes Grossius mox adducendus, exponendo illa præfata SS. Virginis verba) in hoc moriens salvabitur.

Ioannes Grossius, natione Gallus, patriâ Tholosanus, Ordinis nostri Generalis electus ann. 1389. quem Trithemius insignem divinarum scripturarum Doctorem nuncupat, scripsit præter recensitos ab eodem Trithemio libros Tractat. de Sanctis Ordinis, in quo de S. Scapulari B. SIMONI nostro à DEIPARA collato, eadem omninò habet, quæ mox & Guilielmo Coventriensi retulimus.

In Vita S.  
Simonis.

In Catalogo  
Scriptorum  
Angliæ ad  
ann. 1360.

Lib. de il-  
lustr. Car-  
melit. scri-  
ptor. & Pos-  
sevin. in  
Appar. Sac.

Iisdem



Iisdem penè verbis, quibus *Coventriensis* & *Grossus* jam laudati, Scapularis divinitus traditi historiam describit *Thomas Bradleus* sive *Scropus* Tract. de institutione Ord. Carmel. cap. 2. Hic è nobilissimo inter Anglos sanguine procreatus, claritatem generis litteris & virtutibus plurimum illustravit. Primum Ordinis S. Benedicti Monachus fuit, deinde arctioris vitæ desiderio flagrans ann. 1430. ad Carmelitas transijt in Norwicensi asceterio solemnè professione emissâ: vitam duxit in austeritate penè incredibili, populo diligenter prædicans non verbo solum, verum etiam exemplo: extra prædicationis tempus ferè semper cellâ reclusus ad annos 20. vitam ibi egit anachoreticam. Tandem ab EUGENIO IV. ann. 1446. Episcopus Dromorensis in Hibernia creatus, & postmodum ab eodem Legatus Apostolicus ad Rhodienses missus, vivendi finem fecit anno ætatis suæ plus minus centesimo, Christi verò nati 1491. die decimo quinto Januarij, non sine insignis opinione sanctitatis. Ita ferè cum alijs *Joannes Pitsæus* lib. de Illustr. Angliæ Scriptoribus ad ann. 1491. ubi etiam operum ejus catalogum attexit.

Horum vestigijs inhæsit *Baldwinus Leersius* circa ann. 1460. in Collectaneo exemplorum ac miraculorum cap. 4. in quo de S. SIMONE & apparitione DEIPARÆ illi exhibitæ differit.

*Gerardus Edamus* seu ab Edam Harlemonsis circa ann. 1490. in lib. vers. heroic. conscripto. cap. 2.

Circa idem tempus *Nicolaus Simonis* etiam Harlemonsis, scripsit vitam S. SIMONIS Stockij, teste *Pitsæo* ætat. 13. operis supra laudati ad ann. 1265. & *Joanne Molano* in Martyrol. *Vsuardi* ad diem 16. May.

*Joannes Currisex* & *Petrus Brunius*, hic in Oratione ad Patres Capituli Provincialis Franciæ excus. Alosti: ille in Catalogo Scriptorum & Sanctorum Ordinis, adducuntur à *Lezano* in Patronat. Mariano cap. 5. num. 10. tanquam testes hujus veritatis.

*Arnoldus Bostius* scripsit ann. 1479. insigne opusculum de Patronat. SS. Virg. Mariæ, in quo cap. 10. eleganti stylo visionem Stockij, ac receptionem Mariani Scapularis prosequitur. Author est, non solum à *Trithemio*, sed plerisque alijs apud *Petrum Lucium*, *Postevinum*, &c. plurimum commendatus.

*Joannes Paleonydorus* Batavus, quem de Aqua veteri appellat *Trithemius* lib. 2. de Scriptor. Carmelit. num. ultimo, scripsit ante annum

1492.



1492. ut probat P. Irenæus à S. Jacobo, opus tripartitum de antiquitate & sanctimonia Eremitarum montis Carmeli, in quo cap. 7. libri 3. totam S. SIMONIS visionem commemorat. Nuperus quidam auctor parum piè in Divam Carmelitanam, aliosque nonnullos Sanctos affectus, putat præfatum Stockij visum admittendum haud esse, eo quod illud non legerit apud ullum Paleonydoro antiquiorem. Verùm, ut nihil dicam de argumento adeo levi & futili, vindices habet Paleonydorus eos omnes, quos supra recensuimus, Swaningtonum, Coventriensem, Grossium, Bradleyum, Leërsium, Harlemlensem, Bostium &c.

Robertum Balè Carmelitam Brunhauientem ann. 1497. composuisse Ecclesiasticum S. SIMONIS nostri Officium affirmat ex Molano loco supra citat. Theophylus Raynaudus. Officium verò S. SIMONIS supra ducentos jam annos Burdegalæ in usu fuisse perhibet Lezana loco supra citato.

Monaldum Rosarium, Vasconem, & Rolandum Bouchiarium, Hannonium, affirmantibus Molano & Pitæo loc. supra citatù, vitam S. SIMONIS graphicè delineasse, nec præfatam visionem omisisse manifestum est. Utrumque appellat Molanus viros suis temporibus claros.

Petrus Royuella Hispanus, circa an. 1584. præter Tractat. de origine & quatuor prerogativis Ordinis Carmelit. & gratijs, quibus illum Romani Pontifices illustrarunt, scripsit Compendium de antiquitate gratijs & indulgentijs &c. Confraternitatis sacri Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, in quibus causæ nostræ patrociniatur.

Christophorus Sylvestranus Veronenfis, circa an. Domini 1585. præter complura, quæ Pollevinus recenset opera, de excellentijs sacri Scapularis à SS. Virgine B. SIMONI Anglico dati, & inconsutis toga Christi, comparationeq; cum illa Tractatum, ut inquit Aubertus Miræus, eruditione, subtilitate & spiritu plenissimum evulgavit.

Didacus Martinez de Coria an. 1590. in suo Dilucidario Historico lib. 10. Cap. 12.

Thomas à JESU Hispanus, quem sanctimonia & eruditione ævo nostro Carmelum illustrasse affirmant complures, an. 1599. edidit Salmanticeæ lib. de antiquitat. Ord. Carmelit. vide sis. Cap. 8. & lib. 2. de Confraternitat. Cap. 1.

Emmanuel Rodericus, Ordinis Minorum ann. 1601. Tom. 2. qq. Regul. quest. 97. art. 7.

Lib. de præ-  
rect. D. Vir-  
gin. sect. 3.  
§. 6.

In Scapul.  
Mariano  
part. 1. c. 1.

Circa ann.  
1508.

Cap. 7. lib.  
de orig. Or-  
din. Carm.



*Aubertus Miræus*, Bruxellensis, ob quàm plurima eruditionis sue monumenta Orbi notissimus, ann. 1610. edidit Antuerpiæ *lib. de Origine & incremento Ord. Carmelit.* vide sis *Cap. 6.* ubi compendium vite & SIMONIS, & ejus visionem describit.

Circa eadem tempora *Ioannes de Carthagena*, Ordinis Minorum eruditione, pietateque clarissimus, *Tom. 4. sui Marialis tres habet Homilia de B. M. V. de monte Carmelo*, in quibus de S. SIMONIS nostri visionem fulius disserit.

*Sylvester Marulus* Abbas Ord. Cisterciensis ann. 1613. in *Oceanum Religionum lib. 4.*

*Marcus Guadalaxara* seu *Xaverius*, Hispanus, ann. 1616. in *Theſauri spiritual. Religion. Carmelit. cap. 13. & 15.*

*Benedictus Gononus*, Cælestinus, ann. 1625. *lib. 4. de vitis PP. Occidentis*: iterumque in *Chronico DEIPARÆ ad an. 1250.*

*Leo à S. Joanne*, Visitator Apostolicus Ord. Carmelit. & Ecclesiastes Regis Galliæ, edidit Parisijs ann. 1625. *Typum vestis Religiosæ*, quo *seção 9.* agit de hac S. SIMONIS *Stockij* visione: & iterum in *Reddere Mariano 25.* vicibus in Gallijs recuso.

*Christophorus le Roy*, Doctor S. T. Parisiensis, in suo *Nemore sacro*, seu *Horto vite contemplative*, edito Parisijs ann. 1626. *Tom. 2. discursus 12.*

*Petrus Thomas Sarracenus*, Doct. Theol. Colleg. Bononiæ, & Sacaliquis, Consultor, an. 1627. in *Menologio Carmel. in vita S. SIMONIS Stockij* qui liber (licet aliam ob causam) à Spondano cõmendatur *ad an. 1245. num. 22.* Et in alio opere, cui titulus: *Historia sacra de Origine & progressu Confraternit. B. M. V. de monte Carmelo*, 1. part. informat. 17. & part. 2. informat. 3. & seqq.

*Cyprianus à S. MARIA*, Belga, edidit eodem anno Colonia *Theſaurum Carmelitarum*, in cujus prima parte per complura capita agit de huius revelatione.

*Franciscus Poiræus*, Societ. JESU Theologus, anno 1630. edidit gallicè *Triplicem DEIPARÆ Coronam.* Vide *Tractat. 1. cap. 12. §. 7. n. 14. & Tractat. 4. cap. 12. §. 2. num. 5.*

*Laurentius Beyerlinch*, Protonotarius, Canonicus & Archipresbyter Antuerpiensis, edidit ann. 1631. *Theatrum vite Humane.* Vide *lib. 16.*

*Philocalus Caputus*, Italus, *Vir*, (ut de illo in sua *Bibliotheca Mariana part. 2.* testatur *Hippolytus Marraccius*) *pietate & sapentiâ clarus*, & Sacri



Sacri Collegij RR. PP. Magistrorum Theolog. Neapoli olim Decanus, edidit lib. inscriptum *Mons Carmelus*, in quo pluribus agit de sacr. Scapulari: & in suo *Quadragesimali* habet pro singulis Sabbathis Quadragesimæ insignem *Concionem de eodem Mariano habitu*.

Ioannes Baptista Novatus, Italus, Relig. Cleric. Regul. ministrantium infirmis Tomi. 2. de Eminentia DEIP. V. M. &c. cap. 12. in praxi colendi B. V. obsequio quinto.

Michaël Munnoz, Hispanus, in *Propugnaculo ELIÆ* an. 1635. Romæ edito, lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 2. num. 10.

Elias à S. Teresa, Antuerpiensis, in suo opere inscripto, *Legatio Ecclesie Triumphantis ad militantem*, edito primùm Antuerpiæ an. 1638. lib. 2. cap. 9. num. 19. & cap. 36. num. 10.

Cornelius à Lapide, Societ. JESV, in *Cantica Cantic.* ad verbum, *Caput tuum, ut Carmelus*.

Georgius Colvenerius, Duacene Universitatis Cancellarius, in *Calendario Saratiff. Virginis ad diem Januarij 30. & Martij 3.*

Paulus Zebentner, Germ. Societ. JESV, in *Promontorio male spei*, edito Gratiij lib. 3. parag. 13. num. 13. & seqq. tuetur, & exponit uberius hanc revelationem.

Paulus de Barry, ejusdem Societ. celeberrimus Scriptor in 3. parte *Annj sancti*, & in *Paradiso Hagiophila aperto ad diem 16. Julij*.

Laurentius Chryzogonus, Dalmata, ejusdem Societ. JESV, illustris Scriptor in prima parte *Mundi Mariani*, Viennæ editi, *Discursu 17. num. 73. 74. & 76.* qui num. 87. suum discursum hisce concludit verbis; *Libuit hac paulò diffusius explicare, ut ijs, qui contra Sodalitium hoc Sacri SCAPULARIS in Venerabili Carmelitano Ordine erectum, Privilegiumq; illud Sabbathinum liberiùs obloqui consueverunt, ad cor revertantur, & res adeò pias, adeò rationi consonas, à tot Summis Pontificibus confirmatas, dente theonimo arrodere, momiq; sublato supercilio carpere imposterum erubescant.*

Agidius Gelenius, German. Electoris Colonien. Consiliarius, & Historiographus Ecclesiasticus, lib. de *Colonia Agrippinensis magnitudine, &c. syntagmate 43. §. 7. & 8.*

Archangelus à S. Michaële, Italus, in *Tract. de privilegijs DEIPARÆ Virg. de monte Carmelo Scapularis gratijs, beneficijs, &c.*

R. D. Berthelot, magnus Vicarius Abbatie Senonensis S. Petri in Burgundia, in *Compendio mirabilium Sacri Scapularis, &c.*



*Simon Martin* Ord. Minimorum, in nona editione legendæ Sanctorum ad diem 16. Maij, in vita S. SIMONIS Stockij.

*Ioannes Cheron*, in Vindicijs privilegiati Scapularis.

*Ioannes Baptista de Lezana* Tom. 4. Annalium Ord. Carmelit. ad an. 1251. & in lib. de Patronatu Mariano cap. 5. num. 10. qui pro hac stabilenda veritate ibidem adducit Petrum Lucium in *Compendio Historico* cap. 12. Paulum Morigiam de *Origine Religion.* cap. 30. Onuphrium Meniscal. Tom. 1. *Concion. Sermones de B. M. V. de monte Carmelo.* Horatium Pancirolum, & alios.

*Petrus Senerus*, Germanus, Carthusiæ Moguntinæ alumnus, libro cui titulus, *MARIA Carmelitana.*

*Theodorus Stratus*, Italus, Generalis Ord. Carmelit. in sua *Instructio*ne pro sui Ordinis alumnis, maxime cap. 12.

*Gregorius Nazianzenus* à S. Basilio, in suo opere inscripto, *Adoptio Parthenia, &c.* Parisijs edita, maxime parte 2. per 30. capita & in alio opere nuncupato, *Instructio familiaris pro Confratribus Sodalitij B. V. M. de monte Carmelo*, præsertim cap. 4. 5. 6. & seqq.

*Thomas Aquinas* à S. Ioseph, Gallus, edidit duplicem dissertationem Apologeticam pro Sacro Scapulari: in quarum prima *Visionem S. SIMONIS Stockio exhibitam donumq; Scapularis*: in altera *Bullam Sabbatinam* allevit ac propugnat. Scripsit præterea libros tres de Scapulari, eximij *DEIPARÆ* Augustissimæ in Ordinem Carmelitarum amoris tessera. libro primo dixerit de donis vestimentorum in amoris tessera datis, ex omni literatura sacra, Ecclesiastica, profana. Altero de varijs vestibus, quas *DEIPARÆ* sui amatoribus largita est. Tertio de dono Scapularis, varijsq; ejus circumstantijs.

*Philibertus Fezayus* S. Theol. Doctor, ejusdemque in Univeritate Borbonia Aquensi Decanus, & Professor Regius, in opere inscripto *Duplex Privilegium sacri Scapularis Ordinis ac Confraternitatis Gloriosissime Virginis Mariæ de monte Carmelo.*

*Joannes Pintus de Victoria*, ann. 1626. edidit Valentia in Hispania Hierarchiam Carmelitanam in cujus Prima parte *Tractat. 5. cap. 3. & sermone de S. SIMONE Stock, &c.*

*Theophilus Raynaudus* Societ. JESU, lib. inscripto, *Scapulare Partheno-Carmeliticum illustratum & defensum, &c.* prodijt primùm Parisijs, deinde recusus fuit Venetijs, Coloniæ, & Lugduni.

*Simon Starovolscius*, Polonus, Vir maximæ eruditionis & eloquentiæ



quentiæ edidit Romæ: ann. 1646. Opusculum, *Vestis Mariana* inscriptum, seu dissertatio *sacrum Regine cali habitum* vulgò *SCAPVLARE* dictum, describens.

*Philippus Lopezius*, Advocatus Romanus, publicavit Romæ anno 1647. *Compendium vite seraphica Virginis THERESIÆ*, ex manuscriptis illustriss. ac Reverendiss. Domini Alphonu Manzanedo Patriarchæ Hierosolymitani, sacrae Rotæ Decani, & Procuratoris Canonizationis ejusdem Sanctæ, desumptum. vide *cap. 11.*

*Michaël de Calvo*, Tertij Ord. S. Francisci in *lib. cui titulus, Assumpta predicabilia super omnia Quadragesima Evangelia*, Concione 39. pro Sabbatho Dominicæ Palmarum, assumpto 2. quod inscripsit, *Maria Palma gloriosa montis Carmeli triumphat*, multis celebrat S. Scapulare.

*Justinus Miechoviensis*, Polonus, Ordinis Prædicator. Tom. 2. super *Litanis Lauretanis*, discurs. 232. & disc. 236.

*Marchantius* in opere *Vitis florigera* nuncupato, in sermonibus festi Commemorationis solemnis B. M. V. de monte Carm.

*Daniel à S. Joseph* in sermonibus Panegyricis de Sanctis, duobus disserit de sac. Scapulari.

*Georgius à Regina Angelorum*, qui Latinè edidit *Christophori Avendag-nij conciones*, quatuor subjunxit de *Mariano Scapulari*.

*Antonius Olivari de Maldonato*, Hispanus, opere Hispanicè inscripto: *Gobierno Moral del alma* Tom. 2. discursu 22. copiosè disserit de *Mariano Scapulari*.

*Mathias à S. Joanne* in libro Gallicè inscripto, *La varitable devotion du sacre Scapulaire*.

*Simon à Spiritu sancto*, Italus, in libello, cui titulus Italicè, *Theforo di gratie, e privilegij del Scapulare di nostra Signora del Carmine*, qui sæpiùs intra paucos annos recusus fuit, maxime Neapoli.

*Philippus à Visitatione* in diversis Opusculis de *Divæ Carmelitana*, & *sacro sancto ejusdem Scapulari*.

*Irenæus à S. Jacobo*, Gallus, in *Tractatu Theologico de singulari immaculata Virginis protectione*, sectione 1. cap. 1. §. 2. & seqq.

*Daniel à Virgine Maria* Flandro-Belgij iteratis vicibus Provincialis, in *vineæ Carmeli*, seu *Historia Eliani Ordinis Beatiss. Virg. MARIÆ de monte Carmelo* part. 5. cap. 3. & seqq.

*Hippolytus Marraccius*, Congreg. Clericor. Regular. Matris DEI,



Italus, Lucensis, *Lib. de Religiosis Marianis in S. Simone Stock.*

*Antonius Sanderus*, in *Brabantia illustrata agendo de Carmelo Bruxelensi*: & in *Historia Gandavensi* lib. 5. cap. 7.

*Petrus à Maire DEI*, natione Gallus, in suo opere inscripto, *Cognitio & Amot sacratiss. Virginis MARIE &c.* lib. 2. cap. 9.

*Joannes Silveira*, Tom. 3. *Commentariorum in Evangelia* lib. 5. cap. 23. quest. 27. & Tom. 4. lib. 6. cap. 51. q. 12.

*Ludovicus à S. Theresia*, in suo grandiori opere gallicè inscripto *La succession du S. Prophete Elie en l'ordre des Carmes, & en la Reforme de S. Therese.* Decimo tertio Ecclesie saculo, cap. 166. & seqq.

*Gabriel à S. Vincentio*, Italus, in Romano missionum Seminario SS. Theolog. & Controversiarum Fidei Professor in suo opere *de Gratia, Tract. 3. de merito disp. 19. quest. 5. num. 67.*

*Segerus Pauli*, natione Germanus, patriâ Colonienfis, in *Chronologia vite S. SIMONIS Stockij ad ann. 1251.* extat apud *Danielem à Vng. Maria* in opere supra laudato.

*Henricus Jonghen*, Ord. Minorum libro *de vera Fraternitate parte 2.* Ubi fufius ditlerit de Mariani Scapularis gratijs, privilegjs ac prodigijs.

*Antonius à Spiritu sancto*, Lusitanus, in *Directorio Regularium tripartito, Tract. 2. disp. 5. Sect. 3.* juxta novissimam auctioremque editionem Coloniensem.

*Philippus à SS. Trinitate*, Tom. 3. *Cursus Theolog. Tractat. 3. disput. 6. dub. 6.* & in *Decore Carmeli in vita S. SIMONIS Stock*, ac in *Theologia Carmelitana Romæ edita quest. 19. & 20. art. 3. & alibi.*

*Procopius Brandenburgensis*, Germ. Ord. Minorum Capuc. celebris Ecclesiastes, in suo *Mariali parte 2. sermone 47. & 48.* totus est in exponenda sacri Scapularis traditione ac privilegjs.

*Emmanuel à Jesu Maria*, Italus, S. Casareæ Majest. Ecclesiastes, edidit Romæ Tomos aliquot in Regulam Ord. Carmelitarum, quos inscripuit *Fructus Carmeli &c.* vide *discurs. 17.* ubi expendit revelationem S. Simonis & privilegia Marianæ vestis ipsi collatæ.

*Tuffanus Foncherus* in suo *Fonte Elie &c. part. 3. cap. 8.*

*Philippus Maria à S. Paulo*, Italus, S. Theologiæ Romæ Professor *Lib. 3. suorum serm. seu discurs. sacrorum Romæ editorum, serm. 3. & 4. in festo Commemorationis solemnis B. M. V. 16. Julij.*

Michaël



Michaël Baptista de la Nuzá, Hispanus, Regi Catholico à Consilijs, & Protonotarius Regni Aragoniæ Lib. 3. vita Ven. M. Franciscæ à SS. Sacramento Carmelit. Excalceatæ cap. 8. refert, qualiter ann. 1627. die 16. Julij DEIPARA Virgo huic Franciscæ divinitus revelaverit, ac in visione demonstraverit, quomodo eodem die ante aliquot secula S. SIMONI Stock tradiderit sacrum Scapulare, ac quam sibi accepta sit sacra Carmelit. Religio.

Florentius Schilling, Germanus, Ord. Clericorum Regularium S. Pauli, in suis Concionibus Panegyricis Deipara Virg. MARIÆ sermone de sac. Scapulari.

Franciscus à Iesu Maria, Tom. 2. Commentarior. in 12. cap. Apocalypf. B. Ioan. lect. 3.

Christophorus Vdalricus Neuburger, Germ. in suis Concionibus Salisburgi editis, Prima parte serm. de Assumpt. D. Virginis.

Pro hac etiam tuenda, firmandaque veritate, ut alios non paucos transeamus, citari quoque queunt, Alexius à Passone, Italus, Alphonsus à Matre Dei, & Alphonsus Navarrus, Hispani; Angelus de Blanch, Sabaudus; Angelus Bucellini, & Augustinus Guardi, Itali; Blasius Hoitius Polonus; Franciscus à Puero IESU Belga, Franciscus à S. Angelo, Hispanus; Franciscus Potelius, Gerardus Formau, Gerardus Sayus, Tolofanus, Guilielmus Schultingius, Germanus, Ioannes Pelisse, Gallus; Iodocus ab Assche, & Martinus de Hooge, Belgæ; Michaël à Fonte, Hispanus; Nicolaus Auriscus, Italus; Petrus Collongues, Gallus; atque Seraphinus Georgius, Italus: qui de sacro Scapulari, aut ejus Sodalityo, quod in prædicta revelatione, ac Mariani habitus collatione fundatur, scripsere.

SOLET etiam adduci Codex manuscriptus vetustissimus Bibliothecæ Vaticanæ, qui non inferiorem fidem, authoritatem ac probationem confert huic visioni atque revelationi, quam præfactorum Authorum excusa volumina, in hujus Codicis priori parte S. ANGELI Carmelitæ ac Martyris vita continetur à Benedicto Gonono inter vitas Patrum Occidentis libro quarto evulgata: in altera S. SIMONIS Stockij historia, in cujus contextu subjecta leguntur. Sanctus SIMON gloriosam DEI Genetricem deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem speciali ipsius Virginis titulo insignitum, aliquo singulari privilegio communitet, dicens quotidie voce devotissima in suis Orationibus: Flos Carmeli, Vitis florigera,

44.

Authoritas  
vetustissimi  
codicis  
M. S. Bi-  
bliothecæ  
Vaticanæ  
asseritur:  
& quid ille  
doceat?



rigera, Splendor caeli, Virgo puerpera, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, Stella maris. B. MARIA Virgo cum multitudine Angelorum ipsi B. Virgo apparuit Scapulare Ordinis ipsius in manibus tenens & dixit: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium: in hoc mœnens aeternum non patietur incendium, &c.

Extare huiusmodi manuscriptum in Vaticano certum esse potest cuilibet Vaticanum consulenti, numero 3813, illius meminere *Michaël Munnoz* in Propugnaculo *Eliae Lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 2. num. 8.* (licet Typographi incuriâ substitutus sit num. 1813. loco 3813.) *Gregorius Nazianzenus à S. Basilio* in Adoption. Parthenia part. 2. cap. 15. uum. 2. *Lezana lib. de Patronatu Mariano Cap. 5. num. 10.* & alij complures.

Authoritatem manuscripto huic Codici conciliare videtur; primò gravissimorum Scriptorum exemplum, quorum alij è Vaticanis manuscriptis transcripsere plurima: alij è Bibliothecis, & Archivis Monasteriorum, quorum exarabant historiam, quasi è fontibus libenter accepere monumenta. Quo in genere nemini ignotus *Baronius* in Notis Martyrologij ad diem 22. Septemb. & alibi passim in Annalibus & Martyrologio: *Hcribertus Rosviedus* & *Benedictus Gononus* in vitis Patrum, hic Occidentis, ille Orientis: *Andreas Saussayus* in Martyrologio Gallicano, *Arnoldus Pontacus* Episcopus Vazatensis ad *Chronicon Eusebij Pamphyli* &c. Qui omnes de re Ecclesiastica, sacraque Historia optimè meriti esse censentur.

Secundò manuscriptum illud, nemine refragante, authoritatem habere censetur, ac fidem mereri, quod probati alicujus Authoris obtinuerit suffragium: atqui tale est hoc, de quo agimus, Vaticanum; Ergo &c. Constat quippe anno 1635. ab Illustrissimo D. *Horatio Justiniano* visum, lectum, extractum, atque congregatis SS. Officij iudicibus (quibus præerat Eminentissimus Cardinalis *Scaglia*, aderat & sacri Palatij Magister) fuisse expositum: qui omnes post accuratum, maturumque (ut in hoc solet adhibere Tribunali) examen, nihil repperunt, quo vel leviter manuscripti fides posset labefactari: imò suo decreto probarunt, atque Vaticanæ Bibliothecæ restituendum censuerunt. Mirum videtur viros sapientissimos, atque oculatissimos minimè observasse, si liber hic spurius esset, aut intrusus, aut inanis fidei historiam contineret, &c: Vide præfatum *Gregorium Nazianzenum loco supra citato: & Irenæum sect. 1. s. 2.*

Nec



Nec mel duntaxat præfatus codex ad examen & lucem vocatus est. Nam id etiam factum fuisse anno 1601. tradit Gononus *lib. 4. in vita S. Angeli*, quæ eodem continetur volumine cum vita *Stockij*, & ex eo permilla est in lucem exire. Codicem verò manuscriptum, quasi divinitus fuisse repertum, scribit *Gononus*; qui etiam alterum de S. SIMONE nostro manuscriptum suggerit in *vitu PP. lib. 4. ex Bibliotheca Illustrissimi D. Roberti Berthelot, Damasceni Antistitis* depromptum: quod eandem *Stockij* visionem ipsdem penè refert verbis. Hujus Manuscripti auctoritatem præclare tumentur *Irenæus loco sup. cit. & Raynaudus part. 2. cap. 1. Scapularis Mariam illustrati &c.*

Animadvertendum verò hic est, omnes supra productos Authores non planè convenire in anno, quo B. SIMON à Beatiss. Virg. Scapulare accepit. Constans tamen sententia est, id contigisse ab anno 1245. ad an. 1251. & communiter ad ann. 1251. referunt. Hæc verò diversitas nullum historię, aut facti adferre debet præjudicium, alioqui è Fastis ableganda forent penè innumera. Historiographi quippe, ne quidem consentiunt de anno nativitatis Christi Domini, & alij multis majoris momenti, quibus annotandis, elucidandisque majorem dedere operam.

CONTRA jam dicta objicit nuperus quidam Scriptor, & Marianæ vestis, privilegijque adversarius; quod nullus omnino B. SIMONI æqualis, aut suppar Scriptor, revelationis illius meminerit, atque ideo pro fabula habendam esse.

Verum si futilis hæc argumentandi ratio aliquid evinceret, arguenda etiam erit, ut de alijs similibus nihil dicam, fabulositatis historia vitæ *S. Alexij Romani*, quæ à Metaphraste, aliquot sæculis posteriore, primum evulgata est. Quomodo enim, inquit *loco citato Raynaudus*, in tam clara luce Christianitatis, viventibus eo tempore *SS. Augustino, Hieronymo, Paulino, Severo*, alijsque innumeris, nemo inventus esset, qui tantum DEI opus, tam insigne exemplum calcati sæculi, vel syllaba exarata attigisset, ante Metaphrastem tot sæculis posteriorem? In ijs, quæ antiqua traditione per manus accepta, nulli unquam perito, ac probo in dubium sunt vocata, absurdè ad fidem faciendam exposcitur Scriptor synchronus.

Et Launoyus hac in parte egregiam operam navavit *Calvino*, ad omnes traditiones non scriptas excutiendas Catholicis; quibus pro-

Discrepancia sententiarum in designando tempore collati Scapular. non obstat hæcenus assertis.

45.

Nuperi Scriptoris contra jam dicta objectio, dissolvitur.

Part. 2. quæst. 1.

Ad fidem Historiæ conciliandum non est semper

G

inde



necessarius  
Scriptor  
synchro-  
nus.

inde ruinosum illud principium de necessitate Authoris synchroni, ad faciendam receptis jam olim sensibus fidem, nulla ratione ferendum est.

Sed demus adversario, quod postulat, querendum videlicet Authorem synchronum, à quo apparitio SIMONI nostro objecta, sit scriptis commissa: non idcirco causa cademus. *Petrus enim Severingtonus S. SIMONIS* individuus Comes, & actorum ejus scriptor, qui primus Burdigalæ B. SIMONE vita sancto publicus fuit Theologiae Professor, apparitionem, de qua agimus, literis mandavit. Habemus ergo Scriptorem synchronum, & quidem, ut supra quoque vidimus, gravem ac fide dignum, à quo posteriores *Coventriensis & Gressius &c.* è supra laudatis Authoribus eidem proximiores hauserunt.

Utrum u-  
nus ejus-  
modi suf-  
ficiat?

Et si unus adversario Author B. SIMONIS synchronus *Severingtonus* non sufficiat, nã ille bellum se argutorem monstrabit, qui hac una securi magnam partem lucubrationum de vitis Sanctorum exciderit, & nominatim, quæ ex *S. Hieronymo* habemus, alijs intacta: ut vitam *S. Pauli Thebei*, *S. Hilarionis*, ac narrationem de *Malcho*, & de Muliere septies icta. Concidet item vita *S. Antonij*, à solo *S. Athanasio* descripta, & inter fragmenta reputabitur, quod nemo sanus, aut sobrius dixerit.

46.

*Joannis Ba-  
lei Episco-  
pi Hæretici  
de Simone  
nostro te-  
stimoniū,*

AUDITO Catholicorum testimonio, si hæreticum SIMONI nostro testimonium perhibentem audire non pigeat, *Joannis Balei* Episcopi quondam Ossoriensis in Hibernia, at Lutheri postea hæresi infamis, non questum, sed utrum datum afferam testimonium. Sic autem habet num. 7. Centuria 4. *Quod ex solitudine DEI verbum sapiusculi annuntiaverit, ac plebis scelera taxaverit, sanctitatis ejus non leve argumentum est. Sed quod Mariam suis propitiam optaverit, à Spiritu Evangelica doctrina proutus ignaro prodijt. Quid aliud expectes ab Apostata, quam Blasphemias?*

Eodem spiritu prius in doctrinam, vitæ sanctimoniam, Propheticum spiritum, miraculorum prodigia & divinas SIMONIS nostri visiones debachatus fuerat: varia tamen illi adscripta negare non potuit; inter quæ duas antiphonas, scilicet *Flos Carmeli*, & *Ave Stella Matutina*, commemorat: Mortuum tandem affirmat, ac sepultum in Conventu Burdigalensi, subjungitque, *Eum postea, cum ex terra effoderetur corpus, Burdigalensis Archiepiscopus in sanctos Papisicos retulit.* *Hujus vitam*



vitam scripserant Monaldus Rosarius, Vasco: Rolandus Bouchier, Hannonius:  
& Nicolaus Havlemensis, Batavus, Viri suis temporibus eruditi. Unde patet  
manifesta jam olim fuisse B. SIMONIS nostri miracula, visionem,  
revelationem, sanctitatem &c. cum ea hæreticus dissimulare non po-  
tuerit. Verùm Apostata non eget commendatione Stockius, ejus  
beatitudinem testatam faciunt *solemnne Officium* in toto Carmelitarum  
Ordine, à plurimis jam annis, sub ritu duplici, auctoritate Pontifi-  
cia celebratum; ac longè antea in Conventu Burdigalensi: *miracula*,  
quibus ejusdem illustrantur Reliquiæ sacræ: *indulgentiæ*, quas ipsius ad  
tumulum accedentes, ex liberalitate Sedis Apoltoliæ ducantur, &  
alia similia.

Tria potis-  
simum te-  
statam fa-  
ciunt *Simo-  
nis* nostri  
sanctitatē.

## C A P U T VIII.

*Alijs argumentis eadem revelatio, Marianiq̃  
Scapularis donum illustantur ac  
roborantur.*



U E M A D M O D U M omnipotens DEUS, *mirabilis in San-  
ctis suis*, ad eorum declaranda merita, ac demonstrandam  
gloriam, quam plurima omni tempore, per universum  
terrarum Orbem mortalibus ad eorundem invocationem,  
aut mediantibus eorum sacris Reliquijs, vel rebus quoquo modo ad  
eos pertinentibus præstitit beneficia & patravit miracula & prodigia:  
ita etiam ad immensam Matris suæ manifestandam gloriam, & admi-  
randam meritorum ejus magnitudinem atque efficaciam declarandam,  
per sacrum ejusdem SCAPULARE, & superioribus sæculis, & hoc no-  
strò potissimum, innumera, per omnes Christiani Orbis Provincias  
operatur prodigia & mirabilia. Cum autem DEVS ad confirmatio-  
nem alicujus veritatis patrat miraculum, attestatur loquenti ac pro-  
ponenti eam veritatem; ut præclare docent *SS. Augustinus & Gregorius*,  
habebimus proinde DEUM sanctitati nostri SCAPULARIS attestantem  
ac comprobantem, si ostenderimus adhibito Mariano S C A P U L A R I  
quædam miracula supra naturæ cursum edita. Esto verò non proba-  
rent formaliter ac directè (ut videtur velle Irenæus) hæc miracu-  
la re-

47.

Cur Deus  
per SS.  
Virginem,  
aliosque  
Sanctos tot  
ac tanta  
operetur  
prodigia?

*Lib. de ci-  
vilit. Cred.  
cap. 16.  
27. moral.  
cap. 3.*



la revelationem, de qua agimus, ac traditum à DEIPARA *Simoni* nostro SCAPULARE, sufficienter tamen ea probant ac confirmant, maximè prodigia illa, quæ per illud ipsum cælitus collatum *Stockho* SCAPVLARE mox patrata sunt; cum non aliunde, quam ex hoc Mariano benevolentia fonte emanaverint. *Habit preceul dubio*, inquit *Cyrillus sanctus, miraculum fidei conciliande vim, nec minimam facultatem &c.*

*Hom. 18. de festis Paschalis ante med.*

Innuera mediante Mariano Scapulari edita sunt, divinitus miracula.

Refellitur obiectio, quæ hic fieri posset, de fide miraculorum operatrice.

Quam multifaria verò, admiranda atque innumera signa & portenta divinitus in favorem Mariani SCAPULARIS edita sint, abundè videre est in CARMELO meo THAUMATURGO *libro primo & secundo* ex diversis Authoribus ibidem productis, ideoque ab illorum recensione hic abstineo.

Sed recurret forsan quispiam in his signis, & prodigijs ad fidem miraculorum operatricem, ut Mariani SCAPULARIS eludat energiam. At fidem ego in illis pariter requiro, sive ea sit Theologica, sive alia. Verùm præter fidem plus conferre Sanctorum reliquias, aliâq; ejusmodi pietatis monumenta, quàm prophanum aliquid, aut indifferens, confitendum est. Illa ergo virtus, quæ communicata est Sanctorum reliquijs ob animarum sanctimoniam, eadem quoq; DEIPARÆ ex privilegio, Carmelo-Parthenio SCAPULARI inesse comprobatur. Quæ si in parthenio SCAPULARI, atque simul in cæteris displiceat, totaq; in fidem hominis refundatur virtus miraculi, assignetur ratio, cur ELISÆUS pallio ELLÆ potius usus fuerit, quàm proprio, vel baculo, Jordanis aquas dividendo? *4. Reg. 2. c.* Cur in Evangelio fides non sanaverit mulierem, priusquam Christi Dominæ fimbriam attingeret vestimenti? Cur Christus physicum, ut plurimum, in miraculis patrands adhibuerit contactum? Cur ad Reliquiarum præsentiam demones contremiscant, compescantur, nec raro expellantur? deniq; quod de SCAPULARI dicetur, hac in parte, circa cætera poterit retorqueri: adeò ut nec Cruces, nec res aliæ sacra, ad miraculum conferant, sed sola fides, si vim habeat obiectio.

48.

Confirmatur præfata veritas, seu revelatio antiquissima conti-

NONNVELLI Stockianæ visionis ac revelationis subsistentiam, seu veritatem probant ac confirmant, ex antiquissima, constantissimaq; de ea traditione: quæ à quadringentis & amplius annis, quasi de manu ad manum, ut loquitur *Fezayus privileg. 1. controvers. 8. §. 10.* ad nos pervenit. Hujus verò traditionis testes, omni exceptione majores, producent omnes Ordinis Carmelitarum Historiographos, imò



imò Ordinis universi, communem & ab omnibus unanimi consensio-  
ne receptum sensum. Nec solum penes Ordinem Carmeli hæc exi-  
stit, vigetq; traditio, verum etiam penes Confraternitatis Mariani  
SCAPULARIS Sodales, quos inter, quot non Sanctissimi Pontifices,  
Eminentiss. ac Reverendiss. Præsules, Augustissimi Casares, Serenissi-  
mi Reges, Duces, Principes, &c. omniumq; statuum ac conditionum  
pientissimi ac sapientissimi viri numerantur? quos omnes ad hoc  
Parthenium Sodalitium potissimum pertrahit S. SIMONI nostro di-  
vinitus exhibita revelatio, ac promissio cum sacri Scapularis à DEI-  
PAPA largitione. *Et quidem, si pro hac revelatione seu veritate (utor ver-  
bis Casparis Sanchez è Societate JESU sacrarum literarum conspicui  
Doctoris, in non dissimili argumento prolatis) nihil staret, præter tradi-  
tionem, omni memoria superiorem, satis putaretur habere presidij: quia commu-  
nis conspiransq; consensus, nullo interrupta tempore, eam haberet auctoritatem,  
quam nulla, nisi magna fides convellere, aut infirmare possit, &c.*

THOMAS AQUINAS à S. Joseph in sua prima Dissertatione Apolo-  
getica, pro Sodalitio sacri Scapularis cap. 1. probat hanc, de qua agi-  
mus, veritatem ex summa celebritate Confraternitatis Mariani SCA-  
PULARIS (quam nos supra cap. 6. num. 39. dum de famæ celebritate  
ageremus, obiter attigimus) subjecto argumento ac discursu.

QUAM celebris est in Ecclesia Sacri SCAPULARIS pia Con-  
fraternitas, tam celebre est donum SCAPULARIS, quod SIMON  
Stockius totius Ordinis Carmelitarum Generalis Prior, Vir sanctissi-  
mus, ac DEIPARÆ augustissimæ obsequijs addictissimus, ab ea Or-  
dinis sui Parente benignissima, sibi apparente, accepit, ea enim Vir-  
ginis apparitione, eoq; SCAPULARIS dono, tanquam primario  
fundamento, Confraternitas illa innititur. Eam porro Confraterni-  
tatem SCAPULARIS toto Orbe Christiano esse celeberrimam nullo  
negotio demonstrari potest: ex aliquot principijs, quæ sunt certissi-  
ma, & de quibus lis nulla potest moveri. Primum enim certissimum  
est, antiquissimum Ordinem B. MARIÆ de monte CARMELO qua-  
tuor præcipuis Congregationibus distinctum esse: quarum prima est,  
quæ cæteris vetustior, earumq; veluti mater ac fundamentum agno-  
sci debet, cujus Prior Generalis Romæ demoratur, & inter supremos  
Carmelitici Ordinis Superiores ac moderatores primum locum, nul-  
lo obnitente obtinet. *Secunda* Mantuana, quæ quanquam duabus po-

næque  
traditione.

Penes quos  
hæc vigeat  
traditio,  
quantæque  
sit auctori-  
tatis?

In Exposit.  
cap. 17. ubi,  
3. Reg.

49.

Ex summa  
celebritate  
Confra-  
ternitatis  
sacri. Sca-  
pularis  
idem pro-  
batur.

De his  
Congrega-  
tionibus  
uberius a-  
gunt Da-  
niel in Vi-



*nea Carmeli. par. 7. & Philipp. à SS. Trinitate in Historia Ord. Carmelit. lib. 6. & lib. 7. c. 10. & lib. 8. c. 3. & alijs.*

Quis sit hoc tempore monastis Carmelii Prior?

Quam sint multiplicata per univ. orbem. Mariani Scapularis Confraternitates?

sterioribus sit antiquior, ijs tamen Monasteriorum numero cedit: quippe quæ extra Italiam non diffunditur. Tertia Hispanica Carmelitarum Discalceatorum, quæ Hispaniarum Regna, & Occidentales Indias complectitur, habetq; Priorem Generalem in Hispania commorantem. Quarta deniq; eorundem Carmelitarum Discalceatorum Italica Congregatio, quæ in Italia quinque provincias, in Gallijs tres, in Germania unam, in Belgio duas, in Comitatu Burgundiæ unam, in Sabaudia unam, in Polonia unam, in Hibernia deniq; unam habet, ac præterea in Perside, India Orientali, atque etiam in Oriente Cœnobia possidet, nunc pluribus, nunc paucioribus ascetis instructa, præcipue in ipso CARMELO monte, qui totius Ordinis caput & Seminarium fuit, cujus montis, Christianissimi Regis beneficio, ab iniustus possessoribus erepti, qui postremæ hujus Congregationis Propositus Generalis est, Prior quoque diplomate Pontificio nuncupatur: Quæ cum sint certissima, negari non potest, quin fons ille ELIÆ (sic enim Ordinem, cujus ascetæ juxta fontem ELIÆ in monte CARMELO morabantur, lubet appellare;) fons (inquam) initio parvus ereverit, non solum in fluvium magnum, sed & in fluvios, instarq; fontis illius ascendentes de medio Paradisi, atque in quatuor capita divisi, quatuor e Congregationibus, quasi totidem fluminibus, per univ. orbem Christianum sese diffuderit, in quo supra 800. ejus Ordinis Monasteria possunt numerari.

Deinde certissimum est Confraternitatem Sacri SCAPULARIS in omnibus eorum Monasteriorum Ecclesijs, Summorum Pontificum auctoritate, nutuque, & concessione Episcoporum, esse institutam, esseq; proinde quot illius Ordinis Cœnobia, tot Sodalitates, quibus Fideles magno numero sunt adscripti. Certissimum denique est, haud ijs tot Cœnobiorum limitibus definitam esse ejus Confraternitatis institutionem, etenim in varijs Orbis Christiani locis, in quibus Carmelita Cœnobia non habent, plurimæ occurrunt non solum Ordinum Religiosorum, sed & Clericorum sæcularium Ecclesiæ, in quibus illa Confraternitas, annuentibus Ordinis Prælati, quibus eam facultatem summi Ecclesiæ Pastores concesserunt, instituta est; quo fit, ut absque ulla hyperbole pronuntiari possit, in Orbe Christiano, nullum esse Regnum, nullam Provinciam, vixq; ullam alicujus nominis Civitatem, in qua Confraternitas SCAPULARIS non sit instituta, & in numeros



numeros omnis ætatis, sexus, conditionis, atque dignitatis Fideles illi adscriptos esse, & porro quotidie illi adscribi, qui quotannis apparitionem DEIPARÆ, donumq; SCAPULARIS, quibus (ut dictum est) Confraternitas innitur, festo solemnissimo commemorant, mensibusq; anni omnibus consuetis Confraternitatis exercitijs vacant; ac denique diebus singulis SCAPULARIS gestatione, & præscriptarum precum recitatione, ejusdem obligationibus satisfaciunt. Ea porro principia cum sint indubitata, neque à quoquam, quantumvis protervo, possint negari, vel infans viderit, quid ex illis consequatur, nempe Confraternitatem, & quæ illius fundamentum est, factam. B. SIMONI Stockio DEIPARÆ apparitionem rem esse in Ecclesia celeberrimam, & à Fidelibus toto orbe frequentatam. ] Hactenus ille.

ALII denique exemplo aliorum Sanctorum, insignium DEIPARÆ cultorum, confirmare nituntur donum sacri Scapularis SIMONI nostro cœlitus concessum, quos munificentissima Cœlorum Regina similibus favoribus dignata fuit. Sanctis quippe *Idephonso* Toletano, *Bonito* Averneni, *Amato* Senonensi, *Thoma* Cantuariensi, Episcopis, casulam sui in illos amoris tesseram donasse, & ejusdem Cantuariensis Antifistis cilicinam vestem detritam seu dissutam suis manibus resarcisse perhibetur. B. *Alberico* secundo Cistercij Abbati Angelicis spiritibus comitata candidam cucullam capiti imposuit: uti refert, in *Chronico Mariano ad ann. 1109.* *Benedictus* Gononus, qui etiã ad ann. 1125, scribit *S. Norbertum* eximium DEIPARÆ cultorem, qui se suumq; Ordinem ejusdem tutelæ commisit, candidum Ordinis sui habitum Angelici candoris symbolum accepisse: uti etiam testatur *Miræus* in *Chronico Ordinis Præmonstratensis.* B. *Franco* Senensi Ordinis nostri, & B. *Reginaldo* Ordinis Prædicatorum alumno, vestem suæ Religionis DEIPARAM demonstrasse referunt, imò *Scapulare* divinitus datum *Ordini SS. Trinitatis*, ejusdem Ordinis recensent monumenta.

Licet autem hæ vestes à SS. Virgine divinitus concessæ, in hoc conveniant cum sacro SCAPULARI nostro, quod non è terra, sed è cælo, non hominum Angelorumve munificentia, aut manibus, sed purissimis, ipsidemq; sacratissimis Virginis DEIPARÆ, Cœlorum Imperatricis manibus delatæ ac liberalissimè donatæ fuerint, aliquod nihilominus discrimen inter has & illud intercedit. Neque enim illæ, ut SCAPULARE nostrum, tot à DEIPARA, imò & Christo ipso

Serva-

50.

Idipsum confirmatur exemplo plurimorum Sanctorum.

Vestes multis Sæcis à Deipara donatæ aut monstratæ.

Discrimen inter illas & Scapulare Cœlesticum.



Servatore nostro, ejusq; in terris Vicario, privilegiorum, gratiarum, atque indulgentiarum prerogativis insignitæ fuerunt, uti fusius in sequentibus, & toto hoc Opere demonstrabimus.

Privilegio-  
rū Scapu-  
laris Car-  
melitici  
omnes Fi-  
deles frui  
queunt.

Præterea SCAPULARE S. SIMONI nostro traditum, non illi soli, aut Ordini suo, sed cunctis Christi fidelibus illud gestare volentibus, concessum fuit, uti non obscure insinuant ipsius misericordissimæ Virginis SCAPULARE tradentis hæc verba: *In hoc moriens æternum non patietur incendium.* Verum clarissime id expriment illa *Bulle Sabbatine* (de qua infra parte 2.) ab eadem DEIPARA ad Joannem Pontificem prolata verba: *Si alij devotionis causâ in sanctam ingrediuntur Religionem, sancti HABITVS signum ferentes, appellantes se Confratres & Consores mei Ordinis prænominati, liberentur &c.* Vbi gratiam promissam Religiosis Ordinis sui, pollicetur etiam alijs quibuscunq; legitime ac ritè sacrum SCAPULARE gerentibus. Quod autem Marianum SCAPULARE non tantum Ordinis Carmeli Religiosis, verum etiam ejus Confratribus sit proprium, probat P. Cyprianus à S. MARIA primâ parte sui lib. de Confratern. cap. 6. & 7.

### SI.

Prærogati-  
væ sacri  
Scapularis  
præ reli-  
quis Car-  
melitarum  
vestimen-  
tis.

SCAPULARIS denique supra reliquas Carmelitarum vestes, prerogativæ, non vulgarem ei insitam esse dignitatem manifestant. Enimverò cum tunica, zona pellicea ac pallium, quibus amicumtur, in ELIA, vate sanctissimo, Ordinis Protoparente commendata fuerint 4. Reg. nec SCAPULARIS ibi sit mentio: Unde, quæso, tanta SCAPULARIS eminentia, ut jam ab annis plurimis *habitus Ordinis* decatur? Unde contigit, ut tanto in pretio habeatur à Professis, cum melote, tanquam magis propria Parentis hæreditas, & ELLÆ miraculis celebris videatur præferenda? Cur summi Pontifices indulgentias & privilegia SCAPULARI concesserunt, non verò cæteris Carmelitarum indumentis, quæ singularem, ut diximus, in ELIA laudem meruere? Ea sanè satis evincunt, divinam, inquit Irenæus, SCAPULARI inesse virtutem; cujus exordium non alio ex fonte fluxille, quam ex præfato Virginis sanctissimæ beneficio Authores commemorant. Quam in sententiam inclinat Petrus Swantonius in sua Epistola, dum ait, *Proceres desiderasse mori in habitu sancto Ordinis*; nec enim eam quam appellatione ornatam antea fuisse SCAPULARE legimus. Idem censuere Purpurati Patres in laudatis supra *Officij Commemor. solemnis* lectionibus: *ut caelesti hac veste Ordo dignosceret, &c.* Ergo ab eo tempore

*sect. 1. §. 8.*

Vide Lez-  
nam lib. de  
Patronatib.  
Mariano  
c. 9. num. 1.  
& seq. ubi



tempore Ordo Carmeli singularem discriminis notam à SCAPULARI accepit, quam ab eodem pridem non receperat. Hoc argumentum etli clarè & expresse traditum à DEIPARA Virgine SCAPULARE non concludat; gravissimam tamen suspensionem ingenerat, cujus momentum evidentiori argumento vix impar habeatur.

Aliam Parthenij Scapularis prærogativam, subiecto commendat discursu R.P. Zehentner Soc. JESU in *Promontorio mala spei lib. 3. §. 13.* [Meminerunt (inquit) sacræ litteræ pacti ac fœderis, quod olim DEUS pepigit cum Noë, sublato per cataclismum humano genere, usque ad pauculas tantum animas. Nam veluti pœnitens facti, & tam rigidæ justitiæ ita ad Noë, ejusque superstitem familiam pronuntiavit. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvij, neq; erit deinceps diluvium dissipans terram. Dixitq; DEVS: hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: cumq; obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & non erunt aquæ diluvij ad delendam universam carnem. Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter DEVM, & omnem animam viventem universe carnis, quæ est super terram.* Licet hic mihi sacrum Scapulare cum arcu cœlesti, & pulchra Iride componere. Nam tametsi ipsum in se, vi sua nativa, nihil habeat efficacix, ac virtutis activæ in hominem; est tamen nihilominus signum quoddam fœderis initi, tacitiq; pacti, quo DEIPARA quasi obligat liberalitatem suam ijs omnibus, qui singulari erga illam pietate ducti, ejus SCAPULARE gestant. Et quoniam pietate materna, plurimum apud Filium suum pollet, istis sibi devotis vernulis majores & abundantiores gratias impetrat, quam alijs communiter hominibus; ut si eas acceptare velint, breve salutis suæ compendium habeant: facileque possint, tam copiosis muniti auxilijs, cœlos lucrari, & inferos evadere. Quod si repudiaverint hos DEI, suæque Matræ favores, manuque ingrata excusserint compendiosa beatitudinis adipiscendæ media immergi vitiorum illecebris, profecto non obstante SCAPULARI peribunt; sed sua culpa, & maxima culpa, quia ex temporali in æternam transibit.] Hactenus ille; verum de hoc inferius nos agemus uberius.

ex pluribus antiquis ostendit Scapulare esse signum Ordinis à temporibus Simonis Stockij.

Gen. 9. 12.

Sicut arcus in nubibus signū Deo est, facti olim fœderis, de cavendo diluvio secundo: ita S. Scapulare est signū quoddam taciti pacti, quo Deipara quasi obligavit liberalitatem suam ijs, qui ex pietate Scapulare gestant.

H

CAPUT



## CAPUT IX.

Ostenditur qualis fuerit hæc revelatio Beato  
SIMONI nostro exhibita.

52.

Fuit hæc  
revelatio  
divina: &  
quâ ratio-  
ne talis di-  
catur?



2. 2. q. 172.  
a. 2. ad 3.

Referuntur  
quatuor  
conditiones  
seu regulæ  
ad digno-  
scendas,  
discernen-  
dasq; divi-  
nas revela-  
tiones.

Illæ omnes  
reperiun-  
tur in re-

U P P O N O hanc revelationem fuisse divinam. Voco hoc loco *divinam revelationem* non propriè ab objecto, non enim seipsum DEUS exhibuit, sed DEIPARA Virgo, uti ex præcedentibus patet. *Divinam* itaque vocamus, eo quod DEO efficiente contigit, & per apparitionem, seu quod ministerium sanctissimæ Virginis mysterium hoc revelatum fuit; id eum modum quo revelatio, quæ fit per Angelos, nunc quidem ipsam DEUM, nunc Christum hominem, nunc Beatissimam Virginem, nunc alium aliquem Sanctum, aut Sanctam cælestis Patriæ; nunc se ipsos in specie humana orantibus exhibentes, *divina* dicitur, & non Angelica; quia, ut inquit, S. Thomas, *operatio instrumenti attribuitur principali agenti, in cujus virtute instrumentum agit: & quia minister est, sicut instrumentum, idcirco prophetica revelatio, quæ fit ministerio Angelorum dicitur esse divina.*

Hæc suppositio non indiget probatione: sequitur enim ex dictis in præcedentibus & dicendis infra. Quod etiam omnes illas conditiones, quas Theologi unanimi consensu assignant, ad discernendas veras à falsis visionibus, ac revelationibus, & divinas ab illusionibus maligni, aut proprii spiritus; & ut fidem humanam saltem, prædentemque assensum mereantur, satis ex dicendis mox constabit. *Quatuor* potissimum veluti cardinales conditiones ac regulas seu notas dignoscendi divinas revelationes assignatas reperio apud SS. Thomam Bonaventuram, cæterosque Theologos Scholasticos ac Mysticos. *Prima* est: quod visio seu revelatio sit conformis fidei regulis. *Secunda*, quod sit de re utili, pia ac bona, aut in alicujus commodum ordinata. *Tertia*, quod persona, cui fit, sit probatæ virtutis. *Quarta*, quod fit à summo Pontifice, præmissis virorum doctorum examine ac consilio approbata. SIMONIS nostri revelationem conformem esse fidei regulis atque principijs, & de re pia, utilique constat ex dictis in superioribus Capitibus, magisque constabit ex dicendis in sequentibus. S. SIMONEM, cui hæc facta revelatio, probatæ fuisse



fuisse virtutis ac sanctimonie, patet abunde ex dictis Capite quinto. Quomodo vero summus Pontifex non solum premissis Eruditissimorum virorum, verum etiam Purpuratorum Patrum maturo examine & consilio hanc nostram revelationem adprobaverit demonstravimus supra Capite sexto.

Nunc itaque ut ostendamus, qualis & in quo genere revelationum, seu visionum sit, aut fuerit, distinguenda est persona, quae apparuit a mysterio ipso revelato. Et quidem de persona, DEIPARA scilicet Virgine opinor, quod corporaliter apparuerit. Pro cuius distincta faciliorque declaratione recolendum est ex S. Augustino lib. 12. super Genes. ad litter. & S. Thoma 2. 2. q. 174. art. 1. ad 3. triplex esse genus visionum, seu apparitionum, scilicet corporale, spirituale seu imaginarium, & intellectuale. Primum appellatur corporale, quia inquit S. Augustinus, per corpus percipitur, & corporeis sensibus exhibetur. Secundum spirituale seu imaginarium, quia in imaginativa rerum imagines cernuntur, vel quippiam aliud significatur. Tertium vero intellectuale ab intellectu, quia per eum mysteriorum veritas & altitudo percipitur.

Præterea loquendo de primo visionum genere, nempe corporali, multis modis fieri potest, juxta varia Doctorum placita.

Primo absque reali existentia corporis gloriosi in terris per solam representationem extrinsecam, & visibilem in aliquo corpore aëreo, ad eum modum, quo olim ante incarnationem solebat VERBUM divinum juxta multorum opinionem in specie humana apparere.

Secundo per realem & visibilem existentiam ipsiusmet corporis gloriosi, uti de Christo docet S. Thomas, ex aliqua dispensatione quandoque corporaliter ad terram descendente.

Tertio per veram quidem & realem presentiam corporis beati, sed reproducti, & simul in duobus locis existenti, modo, ut ajunt, quantitativo & circumscriptivo, quem nihilominus modum improbat sanctus Doctor.

His itaque positis existimo visionem, seu apparitionem, de qua agimus, esse statuendam in primo genere apparitionum; ita ut beatus SIMON noster corporeis oculis viderit DEIPARAM sibi presentem corporali, exteriusque sensibili presentia. Quod primo fundari potest in ipsa locutione DEIPARÆ, quæ sine dubio sensibilis fuit.

H 2

Secundo,

velatione S. Simonis nostri.

Triplex genus visionum seu apparitionum assignatur ac declaratur.

Exponitur triplex modus, quo corporalis apparitio seu visio fieri potest. 3. p. q. 57. n. 6. ad 3.

3. p. q. 76. Et alibi.

Declaratur in quo genere fuerit visio S. Simonis.

Voco... e... Vir... am... qu... id... plun... mem... ne... z... not... bu... sic... ic... x... di... on... nen... on... pre... Quo... otas... om... eos... unda... dina... quod... con... esse... dictis... in... obata... lle





Secundò, & potissimum in collatione & receptione sacri Scapularis, quæ partim realem motum indicat; partim rem veram & realem collatam, & receptam arguit & manifestat.

Deinde hæc est sententia omnium Scriptorum tam Domesticorum quam Extraneorū, qui unanimiter asserunt B. Virginem MARIAM proprijs manibus ipsum sacrum SCAPULARE contulisse B. SIMONI nostro, quod utique absque reali & corporali præsentia fieri non potuit. An autem hæc Virginis apparitio corporalis contigerit in proprio corpore glorioso, aliove modo, non est hujus loci, sed Scholis relinquendum. Sufficiat innuisse modos, quibus fieri poterit.

53.  
Quæ necessaria sint, ad percipiendum mysteriū per visionem & revelatum?

2.2. q. 173.  
a. 2.

Vide Joan. à JESU-MARIA Tom. 2. in Schola de oratione. Tract. de Visionibus & Revelationibus. & Tract. de discretio. spirituum. loco cit. a. 4.

Quot modis mens Prophetæ moveatur in revela-

JAM verò quantum ad ipsum mysterium per hanc apparitionem revelatum, sciendum est primò in visionibus, seu apparitionibus non semper mentem illuminari ad ipsum mysterium percipiendum & intelligendum; cujus ratio est, quia sicut ad intelligendum naturaliter duo sunt necessaria, lumen naturale ex parte intelligentis, & species seu similitudo objecti ex parte rei intellectæ; ita ad intelligendum supernaturaliter duo requiruntur, lumen supernaturale & objecti species. Unde quandoque deficiente hoc lumine, ejusmodi apparitiones seu visiones sunt imperfectæ in genere revelationum supernaturalium; uti docet S. Thomas: *Si cui fiat, inquit, divinitus representatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias, ut Pharaoni & Nabuchodonosor, aut etiam per similitudines corporales, ut Balthasar, non est talis censendus Prophetæ, nisi illuminetur ejus mens ad judicandum; sed talis apparitio est quiddam imperfectum, in genere Prophetiæ.* Ita S. Doctor. Sub nomine Prophetiæ revelationes divinas ad cognitionem attinentes comprehendens, uti declarat q. 171. loc. citat.

Sciendum est secundò, quod quando lumen intelligibile divinitus datur ad cognoscendum ea, quæ per visiones seu apparitiones revelantur, hujusmodi lumen esse multiplex; Ita ut alij plura, alij pauciora pro qualitate luminis supernaturalis attingant, quod hoc declarat modo S. Doctor: *Dicendum, inquit, quod in revelatione Prophetica moveatur mens Prophetæ, non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum, & quandoq; quidem ad omnia tria simul; quandoq; autem ad duo horum; quandoq; verò ad unum tantum.* Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam cum mens Prophetæ moveatur ad aliquid assequendum, vel apprehendendum; quandoq; qui-

dem



dem inducitur ad hoc quod solum apprehendat rem illam: quandoque autem ulterius ad hoc, ut cognoscat, hæc sibi esse divinitus revelata. Similiter etiam quandoque movetur mens Prophetæ ad aliquid loquendum: ita quod intelligat id quod per hæc verba Spiritus sanctus intendit. Sicut David, qui dicebat: 2. Regum 23. Spiritus Domini locutus est per me. Quandoque autem ille, cujus mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non intelligit, quid Spiritus sanctus per hæc verba intendat: Sicut patet de Caipha Joann. 11. Similiter etiam cum Spiritus sanctus movet mentem alicuius ad aliquid faciendum, quandoque quidem intelligit, quid hoc significet, sicut patet de Hieremia, qui abscondit lumbare in Euphrate, ut habetur Hiere. 13. quandoque verò non intelligit, sicut milites dividentes vestimenta Christi, non intelligebant, quid significaret. Cum ergo aliquis cognoscit se moveri à Spiritu sancto ad aliquid estumandum vel significandum, verbo vel facto: hoc proprie ad Prophetiam pertinet; cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta Prophetia, sed quidam instinctus Propheticus. Ex hac doctrina facile deduci poterit, qualiter hoc mysterium, de quo agimus, B. SIMON noster attigerit.

PRIMO enim non solum mente percepit, quod quicumque gestaret habitum nostrum, seu Marianum Scapulare à malis ingruentibus protegeretur, & potissimum à pænis inferni, verum etiam interiorius certitudinem habuit se moveri à Spiritu sancto ad hoc ita apprehendendum, & mente percipiendum. Ratio hujus est; tum quia hoc mysterium per expressam revelationem ipsi innotuit; quæ autem sic alicui innotescunt, pro certo habetur, quod hæc sint sibi divinitus revelata. Secus verò dicendum de ijs, quæ per instinctum occultum cognoscuntur; aliquando enim sic se habet, ut non plenè discernere possit, utrum hæc cogitaverit aliquo instinctu divino, vel per spiritum proprium, quæ omnia 2. 2 q. 171. a. 5. optime explicat S. Doctor. Tum, quia incredibile illud, & insolitum gaudium, & spiritualis consolatio ac securitas animi, quæ affectus remansit ex hac apparitione, uti tradunt vitæ ejus Scriptores, certissimum ei fuit sancti Spiritus ac presentis Majestatis indicium. quod signum esse veræ ac divinæ revelationis, atque apparitionis tradit ex vita S. Antonij S. Thomas: de quo etiam confuli poterit S. M. N. Theresia, apud Ven. P. Joannem à JESU MARIA in Theologia mystica Cap. 8. Tom. 2. operum ejus.

Præterea non tantum mota fuit mens B. Patris nostri à Spiritu sancto ad apprehendendum hoc mysterium, eo modo quo diximus,

H 3

sed

tione Prophetica?

Nota præclaram circa hæc doctrinam S. Thomæ.

Adplicatur tradita S. Thomæ doctrina revelationi S. Simonis, & fufius explanatur & confirmatur.

3. p. 9. 30.  
a. 3. ad 3.



fed etiam ad ipsum loquendum & propalandum, non quomodo eun-  
que, sed ita, ut intellexerit id, quod in hoc mysterio Spiritus san-  
ctus intendebat, etiam quoad modum ipsum, & quasi formaliter, ne-  
dum quoad substantiam dicti mysterij. Singula declaremus.

Postquam sanctissima Virgo, uti *Capite 5.* reuolimus, apparuit  
fuit B. SIMONI, eique sacrum SCAPULARE contulisset, addita  
promissione vitæ æternæ pro omnibus, quid illud ritè gestarent, &  
in eo morerentur; illico B. Pater convocatis Religiosis sacram illam  
ostendit vestem piissimæ Matris, eisque retulit cuncta sibi ab eadem  
dicta ac revelata; quæ quidem ad substantiam hujus mysterij pertinent.  
Verum præter hæc modū etiā attigit B. Pater, quo hæc revelatio suum  
effectum sortiretur: id est, intellexit modum, quo illi, qui sacrum  
SCAPULARE gestabunt, pænas inferni evadent, vitamq; æternam  
consequentur; & hoc ad modum & quasi formalitatem hujus mysterij  
reducimus.

Tertiò, ipsamet verba hujus revelationis ab ipso B. Patre ex-  
cepta, hoc ipsum indicant. *Dilectissime Fili,* inquit, *recipe hoc tuus Ordi-  
nis Scapulare, mee Confraternitatis signum &c.* Quod ita declaratur. Hæc  
Fraternitas, uti supradictum fuit, fundatur in amore, cujus actus  
exterior, seu proprius effectus est beneficentia; sicut ergo hæc Fra-  
ternitas fundatur in amore speciali SS. Virginis, *mee Confraternitatis  
signum*: ita necesse est fundari in ejus singulari beneficentia, cum ei  
non desit facultas ad hunc actum exteriorem amoris. Quam ratio-  
nem 2. 2. *quest. 31. art. 1.* adsignat Angelicus Doctor inquitens: *Actu dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amici.  
Voluntas autem est effectiva eorum, quæ vult, si facultas adsit, & ideo ex con-  
sequenti benefacere amico ex actu dilectionis consequitur.*

Deus cun-  
cta, quæ  
ad instru-  
tionem fi-  
delis po-  
puli neces-  
saria sunt,  
revelat  
Prophetis.

Accedit postremò ad hoc probandum alia ejusdem S. Thomæ  
doctrina, qui agens de Prophetia docet, quòd in revelationibus  
Dominus, omnia, quæ sunt necessaria ad instructionem fidelis popu-  
li, revelet Prophetis, & quòd Propheticæ revelationi nihil desit eo-  
rum, ad quæ Prophetia ordinatur, &c.

Ex qua doctrina sic arguitur. In hæc revelatione ad instructio-  
nem nostram necessaria erat cognitio ipsius modi, seu rationis sub  
qua hæc revelatio verificatur: Ergo Spiritus S. eam revelavit SI-  
MONI nostro. Consequentia patet. Antecedens probatur. Nam  
alias



aliàs possemus in dubium revocare veritatem hujus propositionis non sine gravi præjudicio tanti beneficii divinitus collati, prout de facto faciunt nonnulli, hunc ipsum modum ignorantes, vel circa illum hallucinantes, Ergo &c.

Similiter idem convinci videtur, ex eo quod, ut tradit S. Thomas, divinæ revelationi nihil desit eorum, ad quæ ordinatur. Enimverò cum hæc revelatio ordinetur ad specialem tutelam & protectionem B. Virginis adstruendam, & stabiliendam, & per cognitionem dicti modi, seu rationis id ipsum maximè habeatur, sequitur ad hanc revelationem desiderari cognitionem hujus modi, &c.

Tandem in hac revelatione non tantùm B. Pater hoc mysterium mente apprehendit, & verbò denuntiavit; verùm etiam ipso facto publicavit: statim enim ac sacrum hunc habitum seu SCAPULARE à Diva Virgine accepit, ut suprâ relatam fuit, cepit illud Christi Fidelibus distribuere, ac Confraternitatem instituere, seu aliàs institutam sub novo hoc privilegio, in his verbis contento, *In quo quis moriens æternum non patietur incendium*, propagare non solum in Anglia, ubi degebat, verùm & in Gallia, Belgio, alijsq; Europæ partibus.

Quod autem per hanc revelationem & instinctum specialem Spiritus sancti illud egerit, patet imprimis ex verbis ipsius revelationis paulò ante allatis: *mea Confraternitatis signum, &c.* quæ verba ipsam Confraternitatem Ordinis exprimunt, & de Christi Fidelibus illi adscriptis sunt intelligenda, uti clarè etiam habetur ex revelatione facta JOANNI XXII. Papæ hujus nominis, de qua infrâ; ubi Sanctissima Virgo per suam Confraternitatem distinctè insinuat, intelligi Christi Fideles, qui ad Ordinis participationem admittuntur.

Deinde probatur hoc idem ex doctrina S. Thomæ, 2. 2. q. 174. a. 4. nam inter ea, quæ divinam & excellentem revelationem arguunt, est confirmatio per miracula; & generatim loquendo *miracula fiunt ad manifestandum aliquid supernaturale, & secundùm hoc*, inquit S. Doctor, *communiter dicuntur signa*. Cum ergo ferè innumera, & maximè prodigiosa ac probata, medio sacro hoc habitu DEIPARA Virgo miracula Christi Fidelibus exhibuerit, & mox eo ipso tempore, quo B. Pater cepit illum post habitam hanc revelationem distribuere, sicut complures tradunt Scriptores, inter quos *Ioannes Paleonydorus*, qui quàmplurimos per hunc habitum à diversis languoribus, c. vestigiò,

ubi

Divinæ revelationi nihil deest eorum, ad quæ ordinatur.

Applicantur hæc revelationi B. Simonis nostri.

loc. cit. q. 178. a. 1. ad 3.

Miracula revelationem subsequenria arguunt divinam fuisse



se atq; excellentem, ubi à B. Patre populo fuit distributus, esse curatos scribit. Sanè argumentum est evidens hinc adesse aliquid supernaturale, & non nisi per instinctum divinum, seu radium cælestem, qui B. Patri in hac revelatione affulsit, dictum sacrum SCAPULARE ab eodem esse distributum; quam rationem à miraculis petitam sufficiat hinc innuisse, nam infrà de his in *sexta Parte* agendum erit.

Quo signo dignoscatur divina revelatio & afflatus? *2.2. q. 172. a. 6. ad 1.* Denum signum non infimum ad discernendum sine errore, an aliquid ex divino procedat afflatu, est ipsa rei veritas absque ulla falsitatis admixtione. Et licet quandoq; demones, vel eis medijs aliquando nonnulli homines verum enuntient, *etiam illud verum, inquit Angelicus Doctor, à Spiritu sancto est.* Hinc faciliè erit colligere intentum nostrum. Etenim traditio sacri SCAPULARIS cum adjuncta promissione à DEIPARA facta primitus publicata per sanctum Virum populo Christiano vera est, & secundum omnia, quæ continet nullam habet falsitatis admixtionem: Ergo ex divino fuit afflatus, non quomodocunque, sed per expressam revelationem, de qua agimus. Quod hæc promissio in traditione facta SCAPULARIS vera sit, & sine falsitatis admixtione, breviter quidem hinc insinuabimus, quia infrà proprium locum habet.

Ex tradita supra doctrina, diversa deducuntur corollaria. Duo potissimum continet hæc promissio, ex vi hujus revelationis: PRIMVM, quod *Moriens in hoc SCAPULARI æternum non patitur incendium.* SECUNDVM, quod etiam in hac vita, hoc ipsum SCAPULARE sit *salus in periculis, &c.* Utrumq; verum est, & sine ulla falsitatis admixtione, Ergo &c. hæc omnia luculenter patebunt in sequentibus.

54. Ex dictis in hoc capite, deducitur *primò* hanc revelationem B. SIMONIS nostri maximam certitudinem eorum omnium, quæ per eam diximus fuisse revelata, inducere. Ratio hujus est, quia hæc revelatio fuit conjuncta cum visione corporali: *Quæ autem sunt oculis subjecta, inquit 3. p. q. 30. a. 3. S. Doctor, certius apprehendimus, quam ea, quæ imaginamur.* Vnde Chrysostomus dicit super *Mattheum*, quod Angelus non in somnis, imò visibiliter Virgini adstitit; nam quia magnam valde revelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei eventus visione solemnî. Deducitur *secundò*, intra genus visionum corporalium, hanc revelationem alijs esse altiore. Ratio est, quia non solum vidit B. SIMON noster res aliquas significativas veritatis, seu rerum corporearum

Revelatio S. Simonis quoad omnia in illa contenta fuit certissima. *Hom. 4. in Matt. To. 2.* Fuit excellens intra genus visi-



rearum similitudines, quæ ad significandam divinam aliquam veritatem adhibentur, quales erant similitudines, *spicarum*, quas vidit in somnis Pharaõ, & *virgam vigilantem*, quam vidit Hieremias *cap. 1.* sed vidit personam scilicet DEIPARAM Virginem sibi colloquentem & aliquid demonstrantem. *Ostenditur*, inquit, *2. 2. q. 174. a. 3.* S. Thomas, *altior esse gradus prophetie, quando Propheta non solum videt signa verborum, vel factorum, sed etiam videt, vel in vigilando, vel in dormiendo aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem, quia per hoc ostenditur, quod mens Propheta magis appropinquet ad causam revelantem.*

Deducitur *tertia*, hanc revelationem non tantum in genere visionum corporalium esse excellentem, verum absolutè & in omni genere. Ratio hujus est, quia B. Pater nedum corporaliter vidit sanctissimam Virginem, sed intellectualiter mysterium percepit. *Dicendam*, inquit S. Doctor, *3. p. q. 30. art. 3. ad 1.* loquens de Annunciatione B. Virginis: *quod intellectualis visio est potior, quam visio imaginaria, vel corporalis, si sit sola. Sed ipse Augustinus dicit, quod excellentior est Prophetia, que habet alteram tantum. Beata autem Virgo non solum percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem: Unde talis apparitio nobilior fuit.*

Deducitur *quarta* & *ultima* hanc revelationem intra genus visionum intellectualium non solum excellentem, sed omninò perfectam esse; cujus ratio est, quia cognovit B. Pater per hanc revelationem & substantiam ipsius mysterij, & modum ipsum, seu formalitatem, quam Spiritus sanctus intendebat: quod in ratione Prophetiæ seu revelationis perfectum est, ut præclare docet Angelicus Doctor *loco sup. cit. in verbis ihid. relatis.* De hac quoque revelatione differens Thom. Saracenus *lib. sup. cit. Part. 2. informat. 1.* affirmat S. SIMONI illo ipso tempore, quo Parthenium SCAPULARE è sacratissimis DEIPARÆ V. manibus recepit, hæc quinque fuisse divinitus revelata. I. Innumera hominum multitudo, qui per omnes Orbis partes Confraternitati B. MARIÆ de monte Carmelo erant adscribendi, & sacrum ejus SCAPULARE gestaturi. II. Copiosissima meritorum bonorumque operum messis hoc medio à Sodalibus Carmeloparthenijs colligenda. III. Cuncta eximiaque privilegia, gratiæ & indulgentiæ à Sede Apostolica huic sodalitati impertiendæ. IV. Innumera universaque prodigia ac miracula, hac veste, Mariana que in-

Quænam  
præterea  
eo tempo-  
re B. Simo-  
ni calitùs  
revelata  
fuerint?



tercessione mediante, unquam patranda. V. Admiranda divinaque subsidia, solatia, favores, quos in cunctis animæ ac corporis periculis, difficultatibus, tentationibus, afflictionibus, mortis maximo tempore, atque in purgatorij tormentis, mediâ hæc veste ac Mariana devotione Confratres fideles erant recepturi.

## CAPUT X.

*Primum Confraternitatis sacri Scapularis beneficium, illis DEIPARÆ verbis, in quo quis moriens æternum non patietur incendium, comprehensum, expenditur, Sin quo sensu hæc propositio verificetur exponitur.*

55.

Adducuntur sinistrae quaedam horum verborum interpretationes.

Lib. 3. §. 13.  
num. 16. &  
17.

**A**LTIOREM merentur speculationem ac profundiorum exigunt indagationem verba illa, quibus in præfata revelatione sanctissima Virgo S. SIMONEM allocuta est: in quo quis moriens æternum non patietur incendium; ne in illorū expositione ab orthodoxa ac communi Ecclesiæ, ac Sanctorum Doctrina quis deviet. Sinistras & à veritate Privilegij dissonas nonnullorum interpretationes primùm proponemus ac discutiemus, ac deinde legitimum ac germanum eorundem verborum sensum trademus ac subjungemus.

Paulus Zehentner in *Promontorio male spei* adducit sinistram, imò temerariam, quæ à nonnullis in propriam perniciem adhiberi possit, expositionem his verbis: [ Felices, & ter quaterque beatos, affirmabit aliquis omnes illos mortales, qui ex pio erga DEI Matrem affectu, ejus sibi SCAPULARE ad pectus, humerosque suspendunt, ab ejusdem Fratribus, Carmelitis acceptum; licet enim improbilissimi sint, & homines patibularij, digni ob facinora non tantum laqueo, sed rotâ quoque & rogo, imò & inferis; perire tamen non possunt, neque misera alterius Orbis æternitate, cum damnatis puniri. Quin potius necesse est, ut per efficacissimam MARIÆ intercessionem, saltem ultimo vitæ articulo redeant ad pœnitentis animi frugem, DEIque sui seram quidem, sed sinceram amicitiam. Ita edixisse



dixisse gloriosam Virginem, SCAPULARE, quod communicavit S. SIMONI, jam sæpius repetito, *signum esse salutis, fœdus pacis & pactû sempiterni, in quo quis moriens non æternum patietur incendium*: neq; amplius pollicitationem suam infringere, non retractare verba, non revocare sententiam. Deniq; sibi constare MARIAM, & veracem esse, quia veritatis Mater est.

Quæ omnia nihil aliud sunt, quam novi fulcri substructio, pro stabilienda multorum consuetudine impiorum, resipiscentiam suam & conversionem protrahentium ad moriendi necessitatem. Ita non unus sed plures improbi sibi occidunt, sæpè fatales in perniciem suam Musici. Quod enim *Theodorus* olim apud Plutarchum questus fuit, se doctrinam suam auditoribus dextera porrigere, sed illos sinistra accipere, sinistra intelligere, & benè dicta in partem malam accommodare: id ipsum multis obijcere potest sanctissima Virgo, quod promissionem suam SCAPULARI annexam, nimis laxè & contra pollicentis mentem explicent; quæsi verò nemo scenerator, nemo adulter, homicida nullus, aut quisquis alius gravium flagitiorum pertinax amator, æternum possit interire: si cum pia erga DEI parentem fiducia, SCAPULARE corpori suo appendulum circumgestaverit, eoque velut Mariano insigni mortem suam obsignaverit. Qui sensus quemadmodum humanæ malitiæ habenas laxat, viamque sternit temeritati ad omne scelus: ita minimè gentium à DEIPARA intenditur; in necessariam Filij sui injuriam.]

REIICITUR & benè & meritò hic prædictorum verborum sensus à præfato Authore & Carmelitis, imò Catholicis universis, tanquam impius, & sacris literis profus oppositus.

SECUNDÒ alij, inter quos P. Lezana (licet is alias quoque at  
*eternum incendium non in rigore intelligant sempiternum, sed temporale diuturnum. Quo sensu dicitur Genesis 12. Cap. Circumcisio esse fœdus æternum, id est, diu duraturum. Nempè ad tempora Christi Domini. Similiter Exodi 12. Cap. Celebratio Agni paschalis vocatur cultus sempiternus: & Cap. 28. ritus sacerdotalis appellatur legitimum sempiternum, & tamen hæc temporalia tantum fuere. Multis quoque alijs sacrae Paginae exemplis demonstrari potest per æternum vulgatissima phrasi sæpius intelligi non id duntaxat, quod sine caret, verum etiam quod diuturno*

Plutar. in  
 Apoph.

Lib. de Pa-  
 tronat. Ma-  
 riano cap.  
 5. num. 13.

Nonnulli  
 per æternū  
 incendium,  
 intelligi



volunt té-  
porale di-  
urnum,  
feu diur-  
num pur-  
gatorij i-  
gnem.

Sed hæc  
interpreta-  
tio admit-  
tenda mi-  
nimè vide-  
tur, ob er-  
roris, què  
inducere  
posset, pe-  
riculum.

Aliæ quo-  
rundam  
expositio-  
nes refel-  
luntur.

diuturno atque indeterminato durat tempore. Ac proinde juxta hanc expositionem, idem erit *eternum non pati incendium*, ac diuturnum non pati purgatorij ignem. Quo sensu accepta illa DEIPARÆ promissio coincidit cum privilegio dicto *Bulle Sabbathine*, à Sede Apostolica sapius comprobato. Quod scilicet Beatissima Virgo MARIA animas Fratrum ac Confratrum, post eorum obitum, si in gratia decesserint, suis precibus suffragijsque adjutura, & è purgatorij incendijs liberatura sit, Sabbatho post eorum obitum.

Nihilominus hæc admittenda minimè videtur interpretatio quippè, quæ à littera & communi loquendi usu nimium aberat. Verba enim illa, *eternum incendium* simpliciter sonant ignem inferni, nequam extinguendum; alioqui posset quis verba Christi Domini Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*, de igne purgatorij diuturno exponere, qui tropice diceretur *æternus*. Quapropter etiam aliquando *æternum* pro *diuturno* usurpetur; id tamen minimè puto licitum quando de purgatorio & inferno sermo est, ob periculum erroris, cum auditoris animus ambigere posset, propianè an figurata foret locutio. Denique nescio, an clariùs Beatissima Virgo infernum exprimere potuerit, quàm essentialem illius differentiam indicando, appellandoq; *æternum incendium*.

TERTIO posset esse sensus, *eternum non patietur incendium*, id est, *in æternum non patietur incendium*: quali negatio esset universalis, atq; propositio cum hac coincideret, *nullum unquam patietur incendium*. Refellit tamen, & meo judicio, efficaciter hæc interpretatio, præ Sabbathinum privilegium: quòd detentos in purgatorij flammis Confratres asserit adjuvandos, ab eoq; liberandos post obitum, &c. Ergo per sacrum SCAPULARE immunes haud sunt ab omni incendio.

QUARTO dici posset, salvandos Confratres non quidem in sensu composito peccatorum (quod prima videtur asserere expositio) sed quasi per SCAPULARE pristinam recuperent sanctimoniam, quemadmodum per Baptismum, aut poenitentiam justificatus dicitur salvandus, nec æterna passurus incendia.

RELICITVR tamen: est quippe singulare Sacramentorum privilegium, nulli alteri concessum, quòd peccata remittant, & perditam DEI amicitiam restituant. Neque eum sensum legi unquam  
apud



apud aliquem è nostris; etsi ab adversarijs fuerit non semel oppositus: quos hinc velim monitos, nec Sacramentorum dignitati, aut efficaciam par à nobis asseri SCAPULARE; nec bonorum operum inde reijci necessitatem, verum potius adstrui; quemadmodum religiosa professio, cui salus promittitur, eadem virtutum opera non respuit, sed ardentius complectitur.

QUINTO interpretantur nonnulli hæc verba, affirmantes Confratres in Scapulari decedentes salvari, si in gratia existant. Hæc expositio vera quidem est, at privilegio minimè congrua. Est quippe privilegium, lex quædam privata, seu præter jus commune concessio, sed commune est omnibus pietatis instrumentis, ut si quis cum illis, & in gratia obierit salvus fiat: nec majus esset sacri SCAPULARIS, quam lecti, in quo æger decumberet, privilegium: siquidem in lecto moriens, gratiâ sanctificante præditus æternum non pateretur incendium. Hæc proinde interpretatio valde est inadequata, cum beneficium Principis evertat: quod interpretandi genus, ne quidem in humanis legibus, concessisq; à terreno Principe privilegijs, jura patiuntur, quare alia requirenda expositio est, quæ & cum receptis fidei Catholicæ, ac Sacræ Theologiæ principijs atque regulis cohæreat, & Mariano SCAPULARI aliquid concedat vi promissionis, fœderisq; DEIPARÆ Virginis in ordine ad salutem, quod ex natura sua alioqui non haberet, dico *in ordine ad salutem*, nam dona DEIPARÆ, uti & dilectissimi Filij ejus, eò tendunt potissimam, ut æternam hominum salutem promoveant.

AD legitimum dictæ propositionis sensum sine errore facilius percipiendum, advertendum est *primò*: DEIPARAM Virginem non dixisse, *Accipe hoc Scapulare, quod qui acceperit, æternum non patietur incendium*: sed, *In quo quis moriens, &c.* ita ut gerendum sit ad mortem usq; inclusivè. Ex quo infertur neminem sibi polliceri posse, eò quòd Marianum habitum assumpserit, consecrariè futurum sit, ut salvetur: nam negari potest consecutio, aut in dubium revocari, cum certus minimè sit de perseverantia in habitu suscepto.

ADVERTENDUM est *secundò*: non parum ab invicem differre has duas propositiones: *In quo quis moriens salvabitur*; & *In quo quis moriens damnari non poterit*. Prima enuntiat, quid futurum sit, verum oppositi potentiam non adimit: quam tamen omnem tollit Secunda.

Admonitio  
benè ob-  
servanda.

Vera, sed  
incongrua,  
minimèq;  
sufficiens  
aliorum  
interpreta-  
tio refuta-  
tur.

56.

Nonnulla  
observan-  
da sunt ad  
legitimum  
dictæ pro-  
positionis  
sine errore  
percipiend-  
um.



Primum affirmamus de sacro SCAPULARI modo infra exponendo: Secundum negamus. quemadmodum enim Theologi prædestinatos sic fore salvandos fatentur, ut ad damnationem in hac vita retineant arbitrij potestatem: haud secus Parthenijs Confratribus ita salus promittitur, ut arbitrij libertas, quâ damnari queant, ipsis non adimatur. quæ duo contradictionem minimè involvunt, nisi dixeris contradictorium esse in homine, dum loquitur, quod silendi retineat potestatem.

Lib. de Parthenat. Mariano. cap. 5. n. 12. § 24.  
Quid sit Sac. Scapulare gerere nudè materialiter, seu physicè: quid formaliter seu moraliter, ac spiritualiter?

ADVERTENDUM est tertio ex Lezana, verba illa non esse intelligenda de suscipientibus gestantibusq; sacrum SCAPULARE nudè litteraliter & materialiter, sed formaliter & spiritualiter, id est, observando & satisfaciendo Confraternitatis legibus & obligationibus. quod fufius ac clariùs exponit Irenæus, inquit: [verba illa, in quo qui moriens, non debere intelligi solùm physicè, quasi sufficiat Scapulare physicè duntaxat indutum, perinde ac aliâ veste ornatum mortem opterere, ut de salute sit securus. Etsi enim verò Scapulare eo modo acceptum, quibusdam proficiat (veluti isti desperato, de quo loquitur Petrus Swaningtonus) quod etiam in reliquijs Sanctorum, & alijs rebus pijs nonnunquam contingit, ut nimirum profint aliquibus, qui rerum ejusmodi sacrarum virtutem ignorant, aut non postulant: tamen vi promissionis non existimem ad id teneri DEIPARAM erga Confratres: Nam sic ea contraxit cum B. SIMONE Stockio, ut in signum fœderis pactiq; sempiterni SCAPULARE præfato cum privilegio designaverit. Contractus verò inter civilia, atque è numeris rerum moralium esse nemo nescit, quæ singulari jure pendent à ratione morum principe. Unde infero SCAPULARE non debere solùm assumi physicè, & ut ita loquar, mortuo modo secundum quod est pannus aut vestis, sed etiam moraliter, quatenus signum est fœderis & pacti cum Beata Virgine: signum autem ejusmodi includit relationem aliquam ad B. Virginem, cum qua is contrahit, qui Scapulare induit: ista iterum relatio in mentem revocat datam Virgini fidem, debitumq; vi fœderis obsequium; cui si satisfaciatur Confrater, dicendus est pacti legem implevisse. atque vitè ac debitè, id est moraliter, & non solùm physicè, Scapulare induisse. Si verò Scapulare retineat veluti pannum aliquem, aut vestem, nihil cogitando de fœdere cum DEIPARA: vel B. Virginem, ut debet, minimè colendo, comparandus



duſ erit homini, qui ſummâ diligentiam chartam ſervaret, in qua eſſet deſcriptus contractus cum alio initus, cui tamen non ſatisfaceret: de ſcriptura eſſet ſollicitus, ſed ſcripto renuntiaret. Eadem omnino ratione Confrater Confraternitatis, contractusq; ſignum, quaſi materialiter acceptum ſervaret in corpore, ſed excluderet ab animo. In Scapulari igitur concipimus 1. materiam & formam veſtis ejuſmodi, quod appello aliquid *phyſicum*. 2. ſignum Carmelitici fœderis, cum B. Virgine, quod appello *morale* in ea veſte phyſica. 3. debitum ex tali fœdere obſequium, quod appello *debitum ritum*. Qui primo modo geſtat Scapulare, is ſolum *phyſicè*: qui primo & ſecundo modo, is *phyſicè & moraliter*: denique qui tribus modis enumeratis, is *phyſicè, moraliter & ritè* geſtat Scapulare, dicendusq; eſt ſatisfeciſſe pacto, cui ſua ex parte non deerit DEIPARA.]

His præmiſſis ad germanam legitimamq; præfatorum verborum interpretationem tradendam accedo.

Irenæus præfatus hæc verba, *In quo quis moriens æternum non patitur incendium*, debere ad literam ſic intelligi affirmat, ut qui *ritè* in Scapulari fuerit mortuus, ſit ſalvandus. Dicitur *primò* RITE, cujuſ particula ratio conſtat ex paulò ante dictis. Eſt enim Beatiff. Virgo eam expreſſè non appoſuerit, tamen ſubintelligendam eſſe oſtendimus ex natura contractus cum B. SIMONE *Stockio* initi. Dicitur *ſecundò* SALVANDUS, non quod gloria eandem cum Scapulari, quam cum ſanctitate connexionem habeat: nec parem Scapularis atque Sacramentorum conditionem aſſero; quaſi indifferens ſit morituro, quod Scapulare aſſumat, aut Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ recipiat: abſit, ut ita mentem atque ſententiam interpreteris meam, quam clarè his terminis explico. Qui *ritè* geſtavit Scapulare, is ſatisfecit ſua ex parte Beatiffimæ Virginis fœderi; cui ea pariter, ut ſatisfaciat, obtinet à DEO ea gratiarum auxilia, quibus Confrater ejuſmodi excitetur ad conterendum, pœnitendum, aliaq; recipienda Sacramenta, quorum beneficio redeat in gratiam cum DEO, vel augeat merita, & priorem juſtitiam. Præterea eidem largietur DEUS per B. Virginem externæ protectionis auxilia, removendo tentationes, aliaq; ſimilia, quæ alioqui periclitanti afferrent moleſtias, ac difficultates: imò & interna, quæ ad reſiſtendum, certandumq; *adverſus principatus & poteſtates, rectores mundi hujus* corroborent.

Si

Scapulare debet geſtari *phyſicè, moraliter & ritè*: *phyſicè*, ut pannus; *moraliter*, ut ſignum fœderis cū B. V. *ritè*, præſtando debitum. B. V. obſequium.

57.

Lib. ſuprà cit. ſect. 1. cap. 3. §. 4. Afferuntur legitimæ hujus propoſitionis interpretationes.



Si quæras quomodo ea excitent auxilia? Remitto ad variam Theologorum sententiam in *prima secunda* legendam, &c.

Præfatorum igitur verborum sensus sic expositus, ut intelligatur de gestantibus *ritè* habitum, adjuvandis per efficaciora gratiarum auxilia ad operandam salutem suadetur.

I. Quod in omni interpretatione retineri debeat proprietas verborum, quamdiu non occurrit contradictio, aut aliquid divine majestati minus congruum, vel divinis decretis oppositum: At hoc in casu nihil apparet ejusmodi, imò eadem doctrina defendi debet in alijs ferè innumeris: Ergo &c.

II. Certum videtur id posse B. Virginem, si id velit; quod item velit evidentiùs dicere non potuit.

III. *Ioannes Grossus* pridem laudatus rem ita interpretatur, in qua *quis moriens aternū non patietur incendiū, id est salvabitur*. Generalis est tunc Ordinis, ad quem spectat, ex concessione summorum Pontificum, expositio dubiorum, si quæ emergant in privilegijs.

IV. Ea esse debet juris, legis aut privilegij expositio, ut nec extigat Principis concessionem, nec inanem reddat: at seclusa ejusmodi explicatione evanescit tota DEIPARÆ concessio: Ergo ea admitteri debet.

Vide Lezannam *lib. de Patronatu Mar. c. 5. n. 11.* ubi ait, esse optimum mediū ad salutem, & admodum utile, et si plura dantur alia pariter utilia.

V. Etiam si privilegium strictè quis velit interpretari (quod est contra juris regulam, quæ favores ampliat & principis beneficium late usurpat) ea tamen lege coerceri debet, restrictio, ut aliquem Scapulari tribuat effectum in ordine ad salutem, qui cæteris rebus, *verb. causa* lecto, vestibus, & alijs, quæ moriturum circumvestiunt, minimè conveniat. Minor autem effectus assignari non potest quia datus fuerit: Ergo &c. Ita *Irenæus loco citato*.

58.

*I. part. sect. 9.*

Altera expositio *Leonis à S. Ioanne*.

Confraternitatis inter B. Vir-

ALTERAM, affinem tamen præfatæ, interpretationem adducit *Leo à S. Joan.* in suo *Typo seu pictura vestis Religiosæ* his verbis: [Secunda, ut subtilior, ita melior (præmiserat aliam diversam à præcedente) facilimè intelligetur; si concipiamus Beatissimam Virginem pactum seu fœdus cum S. SIMONE Generali, cumque universo Carmelitarum Ordine sancivisse: hujus verò affinitatis, seu Confraternitatis signum & notam datum esse SCAPULARE, quod gestamus. Quia porro in hujus virtutem Confraternitatis, per ejusmodi SCAPULARE seu habitum, quasi tesseram initæ, relinquatur speciale ergo Carme-



Carmelitas Virginis patrocinium : & vicissim illius gestatione stem-  
matis, palam & aperte profiteamur præcipuæ cultum servitutis, quâ  
nos, nostraque omnia, voto etiam publicè nuncupato, MARIÆ  
Virginis mancipamus. Hinc est, quod eadem benigna parens & mise-  
ricordiæ Mater, memor mutæ hujus Confraternitatis, in ultimo  
mortalis vitæ momento, à quo potissimum pendet æternitas, &  
humana salus periclitatur, speciali patrocinio quemlibet morientem,  
qui saxe Confraternitatis habitum *dignè & laudabiliter* gestaverit, con-  
tra ingruentes tunc hostis impetus & tentationes tutabitur; adeoque  
peculiari tunc sollicitudine Christum Unigenitum exorabit, ut digne-  
tur illi morienti suscitare intimam de peccatis contritionem, sine-  
ram à creaturis aversionem & ad Creatorem conversionem : internos  
motus ad salutem necessarios ingerere, præstare gratiæ auxilia effica-  
cioris : uno verbo, Electorum patrimonium & hæreditatem conce-  
dere, gratiam quam vocant finalem seu perseverantiam, cui salus in-  
dubitata, certissimè adhæret.

Ex qua quidem doctrina pura ac sincera, non obscure colligi-  
tur veritas hujus promissionis, *in quo quis moriens æternum non patietur  
incendium*; quantum est videlicet ex parte Beatiss. Virginis, quæ ex  
fœdere nobiscum percussio, tam opportuna gratiæ efficacioris reme-  
dia morientibus nobis à DEO impetrabit, ut nisi obstinatè resista-  
mus, verissima contritione simul & dilectione ad DEUM finaliter  
conversi, pœnas inferni, & æternum illud incendium pro certò eva-  
dere possimus. Nequè verò necesse est hanc propositionem, *in quo quis  
&c.* (cum sit de contingentium numero, & liberum hominis arbitri-  
um involvat) in omnibus ad unum suum effectum fortiri : sufficit e-  
nim, quod in plerisque obtineat veritatem, & in omnibus, quantum  
est saltem ex parte & officio Beatissimæ Virginis : quæ non solum, ut  
communis Christianorum Mater, verum etiam peculiariter, ut Soror  
Carmelitarum amantissima, ea privilegia impetrabit in mortis ago-  
ne ijs, qui dum viverent se illi cultu specialissimo consecrarunt :  
cujus specialis cultus & clientelæ nota, signum seu tessera SCAPULARE  
est Virginis, quod gestarunt cum speciali itidem virtutum exercitio.]  
Hactenus Leo à S. Joanne *lib. cit. scilicet. 9.*

VERUM ne diutiùs hoc loco hæreamus, prætermisiss varijs  
aliorum Catholico in sensu expositionibus, unam à permultis tra-  
ditam,

ginem &  
Carmeli-  
tas initæ  
signum est  
Scapulare.

Quomodo  
B. Virgo  
juvet mo-  
rientes, qui  
ejus Sac.  
Scapulare  
gestarunt,  
ut æternum  
non patian-  
tur incen-  
dium?

Specialib9  
gratiæ au-  
xilijs adju-  
vantur, qui  
Confratres  
sunt B. Vir-  
ginis.

Ad hoc ut  
propositio  
universalis  
contingens  
vera sit,  
satis est, si  
in pluribus  
& ut pluri-  
mum veri-  
ficetur.



Aliorum  
cōmuniter  
recepta in-  
terpreta-  
tio.

ditam, & ab omnibus communiter receptam solum subjungere  
lubet.

Cap. 6.

Ioan. 6. cap.

SS. Eucha-  
ristia ex se  
habet vir-  
tutem con-  
ferēdi gra-  
tiam ac  
gloriam,  
nisi à reci-  
piēte im-  
pediatur.

Ejus virtus  
dupliciter  
considera-  
ri potest.

Hanc propositionem, *in quo quis &c.* in eo planè sensu, propor-  
tione tamen semper servata, intelligendam esse volunt, quo multa  
aliæ similes, quæ passim in sacris literis occurrunt, in quibus promit-  
titur vita & salus æterna, ob quædam opera, quæ tamen sola sine a-  
lijs ad salutem minimè sufficiunt: cujusmodi est illa Christi promitten-  
tis enunciatio apud Joannem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in  
æternum.* Et iterum: *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem  
habet vitam æternam.* Quæ propositiones veritatis sunt, & de fide cer-  
tæ: & sic absolute prolata verificantur, non tamen in omni sensu, sed  
fano & fidei nostræ principijs congruo. Hinc est, quod multi disci-  
pulorum perperam illas capientes abierunt retro, ut refert S. Evan-  
gelista, & dixerunt, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Neque  
enim sensus est, illum vitam consequi æternam, qui Eucharistico ser-  
culo reficitur, si cætera ad salutem necessaria & præscripta negligat:  
sed hic potius SS. Eucharistiæ Sacramentum ex se, & ex parte sua  
habere virtutem & efficaciam conferendi gratiam & gloriam, nisi ex  
parte recipientis ejus impediatur effectus: quod inter alios sacros  
Doctores non semel tradit Angelicus Præceptor maximè in 3. parte  
quest. 79. art. 3. his verbis: *Dicendum quod virtus hujus Sacramenti potest  
considerari dupliciter. Vno modo secundum se, & sic hoc Sacramentum habet  
virtutem ad remittendum quæcumq; peccata &c. Alio modo potest considerari  
per comparationem ad eum, qui recipit hoc Sacramentum, prout in eo invenitur  
impedimentum percipiendi hujus Sacramenti effectum. Quicumq; autem habet  
conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum  
hujus Sacramenti &c.* Et articul. 1. ad 1. *Dicendum, inquit, quod hoc  
Sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi.* Et articulo 7. ad  
1. differens de adeptione gloriæ ait: *Dicendum est, sicut passio Christi, in  
cujus virtute hoc Sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ, non  
tamen ita, quod statim per ipsam introducatur in gloriam, sed oportet, ut prius  
simul compatiamur, ut postea simul glorificemur (sicut dicitur Rom. 8.) in hoc  
Sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem per  
veniendi ad gloriam, & ideo viaticum dicitur. In ejus figuram legitur 3. Reg.  
19. quod ELIAS comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius qua-  
draginta diebus & quadraginta noctibus usq; ad montem DEI Oreb.*

Complu-



Complura similia generalia pronunciata in sacris paginis passim  
 reperiuntur. De fide, *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vi-*  
*tam eternam.* Et iterum, *si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in*  
*corde tuo credideris, quod DEVS suscitavit illum à mortuis, salvus eris.* Et  
 rursum, *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Et de Fide ac Baptismo.  
*Qui crediderit ac baptizatus fuerit, salvus erit.* De spe, *nullus speravit in Do-*  
*mino & confusus est: & ad Rom. spe salvi facti sumus.* de invocatione no-  
 minis Domini: *omnis quicumq; invocaverit nomen Domini salvus erit.* Et  
 de Eleemosyna Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat.* Et iterum Cap.  
 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Et Daniëlis 4. cap. *Peccata tua elee-*  
*mofynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Et illud Christi  
 Servatoris ad avaros phariseos verbum: *Date eleemosynam, & ecce om-*  
*nia munda sunt vobis.* Quid enim? Num Pharisei, si largas fecissent  
 eleemosynas sine fide in Christum, unicum humanæ salutis authorem,  
 mundi, id est, iusti coram DEO fuissent? Tam parum profectò atq;  
 illi, qui cum deliberato animo continuandi suam pravam vitam, libe-  
 rales simul sunt in pauperes. Quorum Augustinus Sanctus Tom. 3. in  
 Euchirid. c. 75. his meminit verbis: *Qui sceleratissimi vivunt, neq; curant*  
*talem vitam, moresq; corrigere; & inter ipsa facinora atq; flagitia sua eleemo-*  
*synam frequentare non cessant, frustra sibi in eo blandiuntur, quoniam Dominus*  
*dixit: date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: qui etiam cap. 70.*  
*ejusdem libri, idem argumentum tractans impensè monuerat inquiens:*  
*sane cavendum est, ne quisquam existimet, infamia illa crimina, qualia agunt,*  
*qui regnum DEI non possidebunt, quotidie perpetrando, & eleemosynis quotidie red-*  
*imenda. In melius quippè est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præte-*  
*ritis est propitiandus DEVS, &c.* Cum igitur dicitur, quod eleemosyna  
 ab omni peccato, & morte liberet, & omnia mundet, sensus est, jux-  
 ta Bedæ, Bonaventuræ, aliorumque Patrum, ac Theologorum senten-  
 tiam, eleemosynam non propriè remittere peccata, atque iustifica-  
 re, verum disponere solum ad eorum remissionem; seu propitius fle-  
 ctere divinam misericordiam, ex qua procedit gratuita culpæ condo-  
 nationem, animæque justificatio: juxta illud Angeli ad Cornelium Cen-  
 turionem Act. 10. cap. dictum: *Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam*  
*in conspectu DEI.* Cui consonat illud Sapientis: *Conclude eleemosynam in*  
*sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Potest etiam sententia  
 de eleemosyna omnia emundante, intelligi de emundatione, quoad  
 pœnam

Ioan. 3.

Ad Rom.  
10. c.

Marc. ult. 8.

Eccles. 29.

Luc. 18.

Præclara  
& benè ad-  
vertenda  
in eleemo-  
synis faci-  
endis D.  
Augustini  
doctrina.Quomodo  
verum sit,  
quod elee-  
mosyna ab  
omni pec-  
cato libe-  
ret, &  
mundet?

Eccles. 29.



pœnam temporalem, in homine jam justificato, per veræ contritionis actum, aut per Sacramentum penitentiae, in lege nova præceptum ad remissionem culpæ mortalis, quod universali illo de elemosyna dicto nequaquam eliditur.

Cur S. Joannes semper & identidem suis inculcarit discipulis hæc verba, *Filioli diligite alterutrum?*

1. ad Corinth. 13.

1. ad Tim. 2. v. 4.

Lib. 2. de fid. c. 29.

Nonnulli quoque huc referunt effatum illud S. Joannis Apostoli, coram discipulis identidem repetitum. *Filioli diligite alterutrum.* Et ejusdem ad discipulorum, ob frequentem jam repetitionem, tædio affectorum, interrogationem, *quare hoc semper repeteret?* responsum: *quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit.* Quis verò prudenter hinc colliget: sanctissimum Apostolum atque Evangelistam omnem perfectionis plenitudinem, ita collocasse in solo unicoque præcepto dilectionis proximi, ut cætera omnia divina mandata circa fidem, spem, penitentiam, ipsamque etiam DEI charitatem excluderet? minimè gentium; sed cum sciret veram proximi dilectionem fundari in DEI amore, in hoc autem, velut in radice sua, contineri aliorum præceptorum observationem, ideo in frequentibus charissimorum sibi capitum conventiculis, discipulorum, inquam, suorum atque in fide Christiana filiorum, toties inculcavit, potissimum, inter cætera, Christi mandatum de conservanda invicem mutua dilectione. Sicut enim inter metalla aurū, ignis inter elementa, sol inter planetas, inter cælestia corpora cælum empyreū, inter Angelicas mentes Seraphici Spiritus eminent; ita virtutibus reliquis, velut Regina, superior est charitas: affirmante Paulo; *nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, major autem horum est Charitas*, quæ tam in proximo, quam Deo summum semper bonum habet pro objecto.

Attexit hic P. Zehentner ad interpretationem nostram confirmandam, universale illud magni Apostoli dogma, quod non nisi ad sanū sensum restringendum est, ut cum generatim de DEO inquit: *omnes homines vult salvos fieri.* [ Numquid (ait) igitur omnes salvabuntur, quandoquidem omnia quæcunq; vult, faciat DEUS? sed nempe opus est distinctione S. Damasceni, qui ponit in DEO duplicem voluntatem. Una vocatur *antecedens*, quæ scilicet antecedit omnem provisionem bonorum & malorum operum in homine: & hæc quantum tenet ex parte DEI, ejusque in homines benevolentia. Altera ejusdem voluntas appellatur *consequens*, quia præmissis bonis vel malis operibus ex parte hominum, vult eos salvare, vel damnare. Quando ergo



ergo Apostolus in genere ait, DEUM velle omnes homines salvos fieri, debet intelligi de voluntate non *consequente* (hac enim impios, prævisa eorum impietate, vult damnare, non salvare) sed *antecedente*; quod nimirum Deus, ante prævisionem finalis impenitentiae in aliquibus, quantum est ex parte sua, velit, optat, cupiat serio atque ex animo, omnium hominum salutem; ideoq; omnibus dedit Christum Redemptorem, & per eum Sacramenta, aliaq; ad salutem necessaria, & sufficientia media. Cæterum ut hæc DEI voluntas antecedens, fiat completa & efficax, sine ut efficaciter fortiatur effectum; debet ex parte hominis, tanquam à DEO requisita conditio, accedere: ejusdem scilicet cooperatio, & voluntaria mediolorum ad salutem præscriptorum applicatio. Quæ mens communis est SS. Patrum. Quia verò hic multorum industria mortalium deficit, excipientium, quæ DEUS liberaliter offert, beatitudinis consequendæ adjumenta, auxiliaque gratiarum, hinc multi pereunt, sed vitio proprio scordia. ] Hæc ille.

Ex his (ut redeamus unde nonnihil digressi sumus) facile attingere erit, quo in sensu legitimo ac Catholico sæpius memorata DEIPARÆ Virginis pollicitatio ac propositio interpretanda atque vera sit: sensus etenim est, quod quisquis moritur in sacro ejus Scapulari, illudque gestaverit modo supra num. 57. & seq. tradito, non iturum ad inferos; quantum scilicet est ex parte gratiæ illius copiosæ, quam Confratri apud Filium suum impetrabit, intuitu sacri SCAPULARIS, collati jam tum in signum salutis, fœdus pacis, ac pacti sempiterni. Nisi ex alio capite impingat in petram scandali, & lapidem offensionis per temerariam divinæ legis transgressionem.

Nec id cuiquam, vel modicè in sanctis Patribus, aut Ecclesiasticis Historijs versato, novum, aut mirum videri debet, cum complures hujusmodi promissiones ac propositiones, & quidem in communi duntaxat SS. Virginis auxilio ac tutelâ fundatæ, & apud illos & in his reperiantur. Communis est atq; non paucorum Patrum sententia ab ultricibus gehennæ flammis immunes eos omnes futuros, qui DEIPARÆ Virginis amori ac cultui dediti fuerint; imò quidam illorum ad impossibile & necessarium rem reducere videntur. E quibus S. ANSELMUS in Orat. ad B. Virginem: *Sicut enim, ô Beatissima, omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat; ita omnis ad te*

Vide Cor-  
nel. 1. ad  
Timot. 2.

Gestans  
Sac. Sca-  
pulare non  
peribit,  
quantum est  
ex parte  
gratiæ co-  
piofioris,  
quantum  
B. V. illi  
impetrabit  
intuitu  
Scapularis.

60.

Devotus  
MARIÆ  
nullus æ-  
ternum pe-  
ribit.

K 3

conversus



conversus, & à te respectus, impossibile est, ut pereat. Et lib. de quatuor virtutibus B. Virginis; impossibile est, ut aliquis homo ad eam conversus, & ab ea respectus, damnetur. Et iterum lib. de excellent. B. Virginis Cap. 12. Tantummodo velis salutem nostram, & verè nequaquam salvi esse non poterimus. S.

4. part. tit.  
15.

Arrha est  
salutis ei  
esse devo-  
tum.

In Annunt.  
Dei Genitric.

Nihil illi  
impossibi-  
le, &c.

Quem vult  
salvat.

Nemo pe-  
rit, pro  
quo B. V.  
vel semel  
oraverit.

B. V. si vult  
universam  
mundum  
suis preci-  
bus salvare  
potest.

Non orat  
pro illis,  
qui semper  
peccare  
desiderant.

Antoninus: Sicut impossibile est, quod illi, à quibus Virgo MARIA oculos sue misericordiae avertit, salventur: ita necessarium est, quod hi ad quos convertit oculos suos pro eis advocans iustificentur & glorificentur. S. Joannes Damascenus SS. Virg. alloquendo, inquit: Devotum tibi esse arrha est quaedam salutis, quam DEVS ijs dat, quos vult salvos fieri. S. Petrus Damiani serm. 1. de Nativ. B. P. sub finè. Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilus de ipsis perditionis faucibus revocare? Nil tibi impossibile est, cui possibile est, desperatos in spem Beatitudinis relevare. S. Bernardus serm. 1. in Salve Regina. Convenienter vocatur Regina Misericordiae, quod divinae pietatis abyssum, cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire. Ut quis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum Patrocinij sui suffragia praestat. Eundem vide serm. 4. de Assumptione, & Homil. super missus est. S. Bonaventura Tom. 1. part. 2. opuscul. de Psalterio Virginis: Qui dignè coluerit illam iustificabitur: qui autem neglexerit illam morietur in peccatis suis. Et idem alibi: Quem vis ipsa salvus erit, & à quo averis vultum tuum vadit in interitum.

S. Germanus serm. de Zona Virginis. Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita & sanctissimum nomen tuum, Virgo Beatissima, quod in ore fervorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco & modo, vita, latuita & auxilij, non solum est signum, sed ea etiam procurat & conciliat. Consulatur etiam D. Bernardus: Tom. 4. Dominica Quinquagesimae serm. 1. cap. 2. Et Godfridus Cardin. serm. 3. cujus verba admiratione & animadversione digna sunt. Beata, inquit, MARIA Mater, Virgo, & Sponsa intacta, piissima apud piissimum Filium obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit. Nec mirum, quia universum suis precibus mundum salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo mundo paratissima esset ad precandum, totusq; mundus salvaretur, si ejus precibus se faceret dignum. Haec veracissime apud omnipotentem Filium, ut diximus, orando potest, quidquid desiderat; sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat, pro quibus Sanctorum nullus orare praesumat. Ludovicus Bloisius pientissimus Abbas in Canone vitae spiritualis cap. 18. Fieri non potest, inquit, ut pereat, qui MARIAE sedulus, & humilis cultor fuerit. Et alibi: Citius calum cum terra perierit, quam ipsa (B. Virgo) aliquem

serm.



seriò se implorantem suâ ope destituat. Et in *Monili Spirituali Cap. i.* refert, ipsissimam Veritatem Patrem æternum dixisse S. Catharinæ Virgini Senensi hæc verba: *MARIÆ Vnigeniti Filij mei gloriosæ Genitrici à bonitate mea concessum est, propter incarnati VERBI reverentiam, ut quicumq; etiam peccator, ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à demone infernali.* Refert quoque *ibidem* idem Religiosissimus Abbas, *DEIPARAM* Virginem hæc verba sanctæ Brigittæ dixisse; *Quantumcunq; homo peccet, si toto corde cum vera emendatione, & charitate ad me confugerit, statim parata sum recipere vementem, nec attendo quantum quis peccaverit, sed quali intentione ac voluntate redit ad me.*

CONFIRMAT quoque nostrum intentum alia non dissimilis *DEIPARÆ* Virginis sanctissimo Prædicatorum Patriarchæ *DOMINICO* exhibita revelatio, quam recenset *Bzovius Tom. 13. Annal. ad ann. 1213. num. II.* ubi *SS. Virgo de Rosario* loquens, dicit: *Hoc erit unicum ad evertendas hæreses, vitia extinguenda, virtutes promovendas, misericordiam divinam implorandam, suffragiaq; mea impetranda, magnum & singulare in Ecclesia instrumentum.* Quæ omnia de Rosario verificari nequeunt, nisi quatenus ex promissione & intercessione Virginis Sanctissimæ, illud piè recitantibus, hæc à *DEO* propitiùs conceduntur. Eadem quoque cælorum Regina *B. Alano* ejusdem Ordinis alumno subjecta divinitus manifestavit: *Secretum pandam tibi divina providentia. Scias enim, & secure intelligas, quod & indilate alijs patefacias; quod videlicet signum probabile est, & propinquum eterne damnationis, horrere & attediari, & negligere Salutationem Angelicam, totius mundi reparativam: habentibus verò devotionem ad hanc, signum est ordinationis & prædestinationis permagnum ad gloriam.*

NON desunt complures similes sanctissimis viris factæ revelationes, aliq; permulta *SS. Patrum* testimonia, nec non innumera à *DEIPARA* mortalibus exhibita admiranda beneficia, ac prodigiosa exempla, quibus assertum nostrum demonstrare, confirmareque possemus: verùm hæc sufficere videntur, licet intermittere nequeam, quin unius saltem hæretici seu hæresiarchæ, cum alijs plures produci valerent, pro hac veritate testimonium hic proferam: quod hac potissimum in materia & novum ac singulare est. *Joannes Wicleph* in quodam *Sermone de Assumptione MARIÆ*, referente *Joanne Pziziramo* Hussitarum primario Doctore, apud *Bzovium Tom. 15. Annal. ad ann.*

1430.

In Speculo  
Spir. c. 12.

## 61.

Confirmatur supra dicta non dissimili *S. Dominico* factâ revelatione, ac promissione. Ex revelatione factâ *B. Alano* signum est prædestinationis devotio ad Salutationem Angelicam & reprobationis illam horrere & negligere.

## 62.



Nota eximium Hæresiarum de prædicatione veritate, & Deiparæ in omnibus singulari beneficentia testimonium.

1430. art. 22. sic dixerit: Videtur mihi, quod impossibile est nos premiari sine MARIÆ suffragio. Veruntamen sunt gradus in ejus auxilio; & quosdam etiam præscitos jurat ad cavendum peccata, vel eorum gravitatem, & per consequens ad pœnæ perpetua mitigationem: quosdam autem jurat ad bonorum fortuna, natura, & gratiæ cumulationem, & per consequens ad periculi, vel damni temporalis evitacionem: & quosdam ad beatitudinis promeritacionem; & sic nemo est expertus ejus superabundanti suffragio, sive plus, sive minus sibi servaverit; imò illi qui nihil meruerunt, sentiunt ejus levamen, &c. ac nonnullis interjectis, subjungit: MARIÆ sepe prævenit merita peccatorum, quia meretur existentibus in crimine, ut resurgant; & sic non est sexus, etas, vel status, vel conditio humani generis, quin necesse habeat auxilium Virginis implorare. Hactenus Wicleph.

## CAPUT XI.

### In quo consistat præfatum speciale auxilium DEIPARÆ Virginis?

63.



U M in superiori Capite non semel insinuaverimus, DEIPARÆ Virginis exponentes promissionem, de Contrahentibus suis ab æterno incendio eruendis, id potissimum fieri mediante speciali auxilio illis ab eadem Virgine Matre, maximè in mortis periculo aut articulo præstando; restat nunc ut videamus & discutiamus, in quo præsertim præfatum SS. Virginis auxilium consistat. Pro cujus faciliori elucidatione observandum est primò, de fide esse Sanctos in cælo pro hominibus in terris degentibus DEUM orare. Orant verò pro illis non solum in communi, verum etiam in particulari, pro tali, aut tali persona, eausã aut necessitate, &c. Prior asserti pars è sacris paginis constat: nam ante Christi adventum anime justæ perfectè purgatæ, licet divinam nondum viderent essentiam, attamen pro existentibus in hac mortali vita orabant, uti de Onia & Hieremia tradit Liber 2. Machab. c. 15. inquit: *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate, &c.* Altera assertionis pars etiam certa est, quam solide probat Bellarminus lib. 1. de Eccl. Triumph. cap. 18. è Scripturæ ac complurium Patrum testimonijs.

Beati in cælis orant pro hominibus in terris degentibus.

DEIN-



DEINDE advertendum est, licet omnibus Sanctis in cælo regnantibus competat orare pro hominibus in terra militantibus, eosque invocantibus, tum in communi & generali, tum in particulari; nihilominus proprium esse cælorum Reginæ, orare specialiter pro omnibus & singulis, ad eum modum, quo (proportione tamen servatâ) dictum est *suprà*, eam omnibus & singulis in particulari benefacere. Movemur ad hoc asserendum *primò*; quia charitas Virginis non solum secundum actum suæ intrinsecæ benevolentiae, verum etiam extrinsecæ beneficentiæ se extendit ad omnes & singulos in particulari: At sic est, quod juxta proportionem charitatis oratio Beatorum se extendit ad homines sive viatores in terris, &c. quam rationem tetigit S. Thomas 2.2. q. 83. art. 11. dum meminit erroris Vigilantis, qui asseruit, quod dum vivimus mutuo pro nobis orare possimus; postquam autem mortui fuerimus nullius pro alio exaudiatur oratio, contra quem arguit in hunc modum S. Doctor: *Cum oratio pro alijs facta ex charitate proveniat, quanto sancti, qui sunt in cælis, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt, &c.* Probatur *secundò*, quod serenissima Virgo oret pro omnibus, & singulis in particulari; quia cum cæteri Sancti omnium & singulorum hominum, in quibus versantur, necessitates, pericula, & discrimina in particulari non videant, ac cognoscant, regulariter loquendo, & præcisâ speciali revelatione, sed ea duntaxat, quæ ad proprium suum statum attinent: hinc eis pro omnibus & singulis orare, nisi implorentur, non competit, regulariter utique loquendo, &c. secus autem est de sanctissima Virgine, quæ omnium & singulorum hominum necessitates, & pericula in cælo intuetur; imò quæ videt, juxta piam ac probabilem sententiam, in Verbo, quidquid DEUS scientiâ visionis cognoscit, excipiendo actus interiores Christi Domini, cæteraque, quæ ad ipsum singulariter pertinent. Cur autem sanctissima Virgo omnium & singulorum necessitates agnoscat, plures possent rationes proferri: unicam duntaxat in præfenti insinuare, insistendo doctrinæ S. Thomæ, sufficiat. Cum enim Beatis in cælo competat, videre & cognoscere quidquid ad statum illorum pertinet, omnia verò & singula ad DEIPARAM Virginem spectent: utique ei competet videre & cognoscere omnia & singula, quemadmodum de Christo tradit S. Doctor his verbis: *Nulli intelle-*

L

Non solum in cõmuni, verum etiã in particulari; quod tamen specialius cõpetit SS. Virgini.

Sancti in cælo, quod sunt majores, tanto magis orant pro viatoribus.

Sanctissima Virgo in cælis intuetur ac cognoscit omnium & singulorum hominum necessitates: secus dicendum de alijs Beatis ordinariè loquendo. Et quæ hujus diversitatis sit ratio?

3. p. q. 10.

cui

4. 2.



*Qui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant; ad Christum autem, & ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subiecta sunt omnia.* Et idem dicendum videtur, proportionem tamen servatâ, & exceptionem semper positâ, quam paulò ante attulimus, de ejus sanctissima Matre, calorum Regina, ac creaturarum omnium Domina.

Deipara V. cooperata fuit Filio suo ad hominum salutem.

Qua autem ratione omnia & singula spectent ad statum sanctissimæ Virginis, ex eo vel unicè colligi videtur, quod ipsa singulari modo cooperata sit Filio suo ad hominum salutem; ideòq; ad ceteros Sanctos comparatur, tanquam universalis causa, ad quam referuntur omnia, quæ ad singulos pertinent. Consulatur circa jam dicta præclare differens noster Joseph à JESU-MARIA, in *Historia de vita & excellentijs SS. Virginis. lib. 5. cap. 37.*

Licet ipsa pro omnibus & singulis in particulari oret, specialius nihilominus pro quibusdam sibi magis devotis.

TERTIÒ advertendû est; tametsi serenissima Virgo pro omnibus & singulis oret in particulari, eo modo, quo hactenus fuit expofitum, specialius tamen pro quibusdam orare. Patet hoc imprimis eo, quod speciali affectu charitatis quosdam præ alijs prosequatur, eisq; beneficiat, uti *Cap. 2.* diximus. Ex proportione autem charitatis erga homines, metienda est oratio Beatorum in calo. Constat *secundò* ex eo, quod quædam sunt illi propria, non communi quædam ratione, uti ex mysterio Incarnationis ac Redemptionis nostræ paulò ante deducebamus, sed magis speciali, ac singulari quodammodo; sicut v. g. Religio aliqua, Societas vel Confraternitas in honorem ipsius directè ac primariò instituta, &c.

Præcognoscit semper effectum suarum orationum.

QUARTÒ advertendum, nonnullos asserere, Beatos in calo prænoscere, juxta suum statum, eventus & effectus orationis suæ, cum ad DEUM pro nobis orant; licet alij velint illos orare ignorando, quem effectum eorum oratio sit habitura, donec illum postmodum per revelationem divinam cognoscant. De Beatissima tamen Virgine id certò tenendum est, præcognoscere semper effectum suæ orationis, discrimina atque necessitates Christi Fidelium in Ecclesia militante concernentis: quia, uti diximus, videt omnia, quæ DEUS in Ecclesia operatur, infra Christi animam: proindeq; quando orat, novit quid DEUS facturum sit ob talem orationem; sicuti, proportionem semper servatâ, ex eo, quod sanctissima Christi anima, videt in Verbo omnia, quæ in omnibus temporum differentijs futura sunt, præcog-



præcognoscit sine limitatione, an DEUS facturus sit, quod orat.

Quintò advertendum est, orationem ex eo, quod sit quædam petitio, propriam & peculiarem quoque aptitudinem sortiri ad impetrandum: petitio enim natura sua ad hoc ordinatur: unde oratio ex vi petitionis non habet efficaciam infallibilem, sed solum aptitudinem ad impetrandum. Aliundè igitur recipit suam infallibilitatem; nimirum ex peculiari promissione & misericordia divina, prout constat ex pluribus sæerarum litterarum locis, potissimum ex *Matth. 7.* & *Luce 11. Cap.*

Observandum sextò ad postremò per orationem non solum justificationem subsequenter dona, & auxilia divina impetrari posse, verum etiam primam gratiam. Cum enim juxta S. Thomam impetratio orationis sit secundum voluntatem DEI, qui oratur, ad illa omnia se extendit, quæ potestati divinæ ordinatè subsunt. Ubi advertendum S. Doctorem impetrationem reponere in libertate ac liberalitate DEI, non verò in aliqua obligatione justitiæ; nec per hoc tollitur infallibilitas seu efficacia impetrationis, sed solum innuitur, quod impetratio innititur principaliter & absolutè gratiæ & misericordiæ divinæ, & in ea non attenditur dignitas seu capacitas operis in gratia præstiti. Licet nonnulli velint etiam, concurrentibus omnibus conditionibus requisitis, impetrationem esse ex justitia, eò quòd sit veluti præmium debitum oranti, ratione factæ promissionis sub tali conditione, quam implet orans.

Ex his non erit difficilè respondere ad quæsitum hujus capituli. Dicimus enim speciale auxilium DEIPARÆ Virginis, vi cuius sanctè promisit æternum incendium eum, qui ritè sacrum Scapulare illius gestarit, consistere in speciali ejusdem apud DEUM intercessione atq; impetratione; eo sensu, quo in tribus primis observationibus declaravimus: ita ut orando & specialiter intercedendo pro Confratribus suis, efficiat, ut æternam salutem consequantur, quantum est ex parte sua. Et in hoc sensu jam indè à temporibus S. SIMONIS nostri ad hæc usq; tempora hæc fuit revelatio exposita & intellecta, & per continuam traditionem nobis declarata. Ex quo præsumendum videtur, ortum habere hanc expositionem, sive declarationem ab eodem S. Viro, cui, uti supra dictum est, hæc revelatio secundum omnem suam rationem dilucidè manifestata fuit.

L 2

Ls

Vnde orationi adveniat vis impetrativa?

Quænam bona per orationem impetrari valeant?

Impetratio innititur principaliter gratiæ & misericordiæ Dei.

64.

In quo consistat speciale auxiliū à Deipara Confratribus promissū?



Quomodo  
SS. Virgo  
certiorem  
reddiderit  
S. Simonē  
de hoc spe-  
ciali auxi-  
lio, ejusq;  
effectu?

Angeli in  
Verbo cog-  
noscent  
salutem il-  
lorū, quo-  
rum sunt  
tutelares.  
Et quid  
circa hoc  
dicendum  
sit de B.  
Virgine.

Exponitur,  
quomodo  
possit esse  
infallibile.  
Confratres  
B. Virg. nō  
damnari.

Et utrum  
hoc bene-  
ficiū con-  
sequi va-  
leant pec-  
catores?  
2. 2. q. 83.  
a. 7. ad 3.

Ex quarta observatione deducitur, DEIPARAM Virginem certiorem reddidisse Beatum SIMONEM de effectu specialis hujus suæ intercessionis ac impetrationis pro dictis Confratribus, dum eisdem B. Viro dixit, *in quo quis moriens æternum non patietur incendium*: certiorem, inquam, reddidisse, non ex speciali sibi communicata revelatione, sed ex ea notitia, qua orando & intercedendo simul præcognoscit in verbo suæ orationis & intercessionis eventum, velut quippiam ad suum statum pertinens: cum hæc Confraternitas sit ei pluribus titulis peculiaris & propria. Potest hoc deduci ex doctrina Angelici præceptoris, qui l. p. q. 57. a. 5. differens de Angelis, docet mysteria gratiæ ab eis cognosci, non quidem per species innatas, sed in Verbo, ita, ut *Superiores Angeli perspicacius divinam Sapientiam contemplantes plura mysteria & altiora in DEI visione cognoscunt, que inferioribus manifestant, eos illuminando*; omnes tamen, juxta quod eorum statui & officijs congruit. Ex quo colligere est Angelos in Verbo cognoscere salutem eorum, qui ipsis à DEO ad custodiam commissi sunt, quandoquidem id eorum statui & officio congruat: Ita quoque sanctissima Virgo præcognosceens in Verbo ea, quæ Angeli & Sancti vident, jure merito poterit alijs illa ipsa manifestare; potuitque B. SIMONI nostro vi hujus cognitionis revelare, morientes in sacro Scapulari, æternum non passuros incendium, cum hoc ipsum sit aliquid spectans ad peculiarem ejus statum, & propriam ejusdem in terris Confraternitatem.

Ex quinta observatione sequitur, infallibile esse modo supra exposito, & infra exponendo Confratres nostros à pœnis inferni liberari. Ratio hujus est; quia hoc innitur beneficium orationi DEIPARÆ Virginis, quæ etiam universaliter sumpta annexam habet promissionem ad impetrandum, ex qua oritur hæc infallibilitas. Accedit, illud ipsum S. SIMONI nostro per DEIPARAM Virginem, in quam non cadit mendacium, fuisse revelatum.

Ex ultima observatione inferitur, non solum justos sed etiam peccatores & lapsos posse consequi hoc beneficium Mariani Scapularis nostri. Ratio ejus est, quia hoc beneficium fundatur in oratione & impetratione, qua non solum justis augmentum gratiæ, & perseverantia in bono obtineri potest; verum etiam lapsis ac peccatoribus gratia justificans. Appositè Angelicus Doctor: *Dicendum, inquit, quod*  
pro



pro peccatoribus orandum est, ut convertantur; & pro justis, ut perseverent & proficiant.

Confirmatur hoc primò, ex communi Sanctorum & Doctorum sententia. Nam certum est posse Beatos in cælo, imò & viros justos & perfectos in terris primam gratiam, etiam auxiliantem, alijs impetrare. Unde S. Augustinus: *Si Stephanus, inquit, non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* A fortiori ergò de sanctissima Virgine censendum erit, suis orationibus & intercessionibus gratiam conversionis, & salutem æternam peccatoribus impetrare posse, adeoq; potiori adhuc ratione eam Confratribus nostris obtinere, utpotè pro quibus speciatim, ut diximus, & peculiariter orat.

Pulchrè declarat hoc sanctus Germanus, licet argumentum in communi solum tractet. *Quis, ait, post tuum Filium ita curam gerit generis humani sicut Tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis tantò præveniens, nos ab irruentibus liberat tentationibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Tu enim cum habeas maternam apud tuum Filium fiduciam & potentiam, nos tuis interpellationibus & intercessionibus ipsi efficiis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio. Omnia tua admirabilia sunt, ò DEIPARA, omnia supra naturam, omnia ingentia, & aliorum vires superantia, propterea & Patrocinium tuum majus est, quam intelligentiâ comprehendi possit.*

Confirmatur secundò, nam status gratiæ non est simpliciter necessarius ad impetrandum. *Omnis enim, qui petit accipit, id est, sive justus, sive peccator, ut optime declarat S. Joan. Chrysof. seu N. Joan. Hieros. Hom. 18. in Oper. imp.* Et ratio favet, nam vis orationis in impetrando nõ defumitur ex dignitate personæ orantis, sed ex misericordia divina. Unde indignitas peccatoris nõ potest obstarè, quo minus is etiam infallibiliter quod postulat, impetret, quod egregiè more suo prosequitur S. Doctor 2. 2. q. 83. art. 16. & q. 178. art. 2. ad 1. Ex quo sic discurre ad propositum nostrum. Peccator ea, quæ sunt suæ salutis impetrat pro se, & orando consequitur ex misericordia DEI, quod petit, concurrentibus ad bonam orationem requisitis conditionibus; Ergo à fortiori justus, & extra statum peccati constitutus, præsertim verò SS. Virgo, quæ nullam planè unquam peccati labeculam habuit, poterit pro ipsismet peccatoribus longè efficacius exorare, atque impetrare salutem; & cur non etiam efficacissimè pro Confratribus

*Serm. 1. de S. Srephan. Possunt Sancti, & justis, alijs primâ gratiam, etiâ auxiliantem impetrare.*

*Serm. de zona Virg.*

*Matth. 7. Status gratiæ non est simpliciter necessarius ad impetrandum.*



tribus suis, etsi in statu peccati existentibus, cum & quando specialiter orat pro ipsis.

Quanta sit orationis D. Virg. efficacia?

Tom. 2. in 3. p. diss. 23. sect. 2.

Excedit in ea omnium simul Sanctorum orationes.

Ex histor. S. Dominici relata à Nonato Tom. 2. c. 11. q. 2.

Unicum suspirium D. Virg. superat preces Sanctorum omnium.

Quantæ verò virtutis & efficaciz sit apud DEUM Virginis Matris intercessio probat inter alios egregiè P. Joan. Bapt. Novatus, Tom. 2. de Eminent. D. V. cap. 11. quest. 1. & 6. qui etiam *ibid.* q. 2. auctoritatibus SS. Patrum & Doctorum, ac rationibus solide confirmat solam DEIPARÆ intercessionem plus posse apud DEUM, quam intercessionem omnium Sanctorum collectivè sumptam. Hoc ipsum docet Pelbartus, inquit: *Tantum eam DEVS dilexit, ut ipsa in omni petitione à DEO plus valeat impetrare, quam omnes Sancti & Angeli, ac tota Ecclesia mundi, quia ei nihil fas est negare, quæ tanquam Mater potest DEO impetrare, & non tantum supplicare, sicut ceteri.* Et P. Suarez: [ Si vera sunt (ait) quæ de charitate & gratia B. Virginis in superioribus docuimus, existimo à B. Virg. in hac potestate & efficacia non solum Sanctos singulos, sed omnem etiam cælestem Curiam superari. Itaque si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamq; Curiam cælestem illi resistere (sicut apud Daniele unum Angelus alteri resistebat) potentior esset, majorisque efficaciz & valoris apud DEUM Virginis, quam reliquorum Sanctorum omnium oratio. Et ita quidem sentiunt Sancti Patres paulò ante citati, estque dignitati Matris maximè consentaneum, & perfectissimæ gratiz & charitati B. Virginis quodammodo debitum. ] Idem deducit ac confirmat ex SS. Patrum doctrina nost. Joseph à JESU-MARIA, in *Opere supra cit.* pluriesque recuso Hispanicè & Italicè.

Hujus quoque efficaciz partheniz ipsi inimici Virginis & nostri, demones inquam, sunt judices: qui à S. Dominico divinitus compulsi (priusquam eos è corpore energumeni expelleret) edicere, *quisnam Sanctorum, post Christum Dominum, esset in cælis, quem demones magis formidarent, & quem homines magis colere deberent?* Responderunt post longas tandem tergiversationes prorsus inviti ac planè coacti, *neminem damnari, qui in MARIÆ cultu & obsequio perseverat: nam unicum suspirium ab ea, & per eam SS. Trinitati oblatum, superat & excedit omnium Sanctorum preces, & magis eam nos formidamus, quam omnes Sanctos Paradisi, nec contra fideles ejus famulos quidquam possumus prevalere.* Hinc post complures SS. Patres ac Doctores, (quorum nonnullos superiori capite produximus, ac permultos varijs in locis suæ *Coronæ Anni Mæ*



riani refert noster Joannes Thomas) Gerson sapientissimus affirmat, *Tract. 6. super Magnif.*  
quod *Virgo absolutâ voluntate nihil petit à DEO, quod non obtineat.*

Hoc luculenter confirmât verba ipsius æternæ Veritatis, quibus apud S. Brigittam *lib. 1. revelat. cap. 50.* Virginem Matrem suam affatur, inquit: *Benedicta sis Tu à me benedicto Filio tuo. Propterea nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiatur, & per Te omnes, qui petunt misericordiam cum voluntate emendandi se, gratiam habebunt: quia sicut calor procedit à sole, sic per Te omnis misericordia dabitur, &c.* Ac rursus: *Tanta est mihi dulcedo in verbis Tuis, ut non possim negare, quæ petis, &c.* Rationem hujus, quæ Christus te affici dulcedine asserit, observatione dignam affert Theophilus Alexandr. *lib. de Incarnat. Verbi*, inquit: *Gaudet Filius orante Matre, quia omnia, quæ nobis precibus sue Genitricis evictus donat, ipsi Matri se donare putat, & accepta ab illa sine patre humanitatis vices reddere, &c.* Ac Gregor. Nicomed. *Tuam, ait, gloriam Creator existimat esse propriam, & tanquam Filius eâ exultans, & quasi exsolvens debitum, implet petitiones.*

MARIA nihil petit à DEO, quod non obtineat. Delectatur Christus verbis & precibus Matris suæ. Orat. de oblation. Deipara.

## CAPUT XII.

*Enodantur dubitationes ex præcedentis Capitis doctrina emergentes.*

**P**RIMIS videtur ex dictis sequi omnes & singulos, qui Parthenium gestant Ordinis nostri Scapulare non damnari, quod asserere planè absurdum atque temerarium esse constat. Id autem sequi patet: nam cum hæc propositio, *In quo quis moriens, &c. sit absoluta, nullam adjunctam habens exceptionem, oratio verò D. Virginis, in qua fundatur, sit impetratoria, quid obstabit, quo minùs omnes & singuli salventur?*

**R**ESPONDETUR, omnes & singulos Confratres nostros, quantum est ex parte Virginis, & adjutorij peculiaris per ipsam oblatis salvari; sicut de Fide, Baptismo, Spe, alijsq; similibus, proportionem semper servatâ, dictum est suprâ, justificare & salvare ex parte sua; adeoq; temerè & insipienter diceret aliquis: Ego fidem habeo, quæ salvat, bona igitur opera necessaria mihi non sunt: quia illa ad salutem sufficit: quæ propositio hæretica est, & in Coneil. Tridentino damnata, *sess. 6. Canone 9.*

65.  
Declaratur quomodo omnes Cōfratres salventur, saltem quantum est ex parte SS. Virginis, ejusq; peculiaris auxiliij.

Scien-



Sciendum itaque, quòd etsi sanctissima Virgo possit impetrare peccatoribus statum gratiæ, non id fieri immediatè, & sine prævia convenienti dispositione, alijsq; ad justificationem necessarijs: similiter ad statum gloriæ desideratur alia ex parte hominis requisita, &c.

Vnde si ex hoc capite aliquod impedimentum intercedat, quantumcunq; oratio Divæ Virginis sit impetratoria, effectu carebit, & fallet promissio ejus de salute æterna respectu eorum, qui Scapulare gerunt Ordinis Carmelitarum. Appositè S. Doctor: *Contin- git, ait, quandoq; quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiamsi fiat pie, & perseveranter, & de pertinentibus ad salutem, ob impedimentum quod est ex parte ejus, pro quo oratur: secundum illud Hieremias 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

2. 2. q. 83.  
a. 7. ad 2.

Quare  
quandoq;  
orationes,  
etiã piè &  
ritè factæ  
non exan-  
diantur?

Lib. de bono  
persever.  
cap. 22.

Lib. 2. de  
vocatione  
gentium.  
cap. 36.

Quomodo  
prædesti-  
natio, præ-  
cibus San-  
ctorum ju-  
vetur, ex-  
ponitur.

Nec valet dicere, quòd si adsint cætera ad salutem necessaria, frustra requiri SCAPULARE; nam cum hoc beneficium SCAPULARIS fundetur in impetratione & adjutorio DEIPARÆ Virginis, idem planè hîc sentiendum est, respectu dictæ impetrationis & adjutorij sanctissimæ Virginis, ac de alijs rebus conducentibus ad vitam æternam, quæ juxta fidem Catholicam etiam in prædestinatis locum habent. Constat hoc ex D. Augustino: *Si qui sunt (ait) nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus; fortassis etiam sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur.* Item ex S. Prospero: *Quamvis, inquit, quod statum DEVS nullâ possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij devotio relaxatur: cum implenda voluntas DEI ita sit prædestinatus effectus, &c.* Præclare verò hoc explicat S. Thomas I. p. q. 23. a. 8. ubi quærit, *utrum prædestinatio possit juvari precibus Sanctorum?* & respondet in hunc modum: *Respondeo, inquit, dicendum, quod circa hanc questionem diversi errores fuerint; quidam enim attendentes certitudinem divinæ prædestinationis, dixerunt superfluas esse orationes, vel quod aliud fiat ad salutem æternam consequendam, quia his factis vel non factis, prædestinati consequuntur, reprobi non consequuntur. Sed contra hoc sunt omnes admonitiones sacre Scripturæ exhortantes ad orationem, & ad alia bona opera. Et nonnullis interjectis prosequitur: Et ideo aliter dicendum, quod in prædestinatione duo sunt consideranda: scilicet ipsa prædestinatio divina & effectus ejus. Quantum igitur ad primum, nullo modo prædestinatio juvatur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit, quòd aliquis prædestinetur à DEO: quantum verò ad secundum, dicitur prædestinatio juvari precibus Sanctorum.*



horum, & alijs bonis operibus, quia providentia (cujus prædestinatio est pars) non subtrahit causas secundas, sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subiaceat providentiæ: sicut igitur, sic providentur naturales effectus, ut etiam cause naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent, ita à DEO prædestinatur salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriae, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur, &c.

Et alibi his consonat inquit: Non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus, quod DEVS disposuit per orationes Sanctorum esse implendum; ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis DEVS omnipotens ante secula disposuit donare. Videatur etiam S. Doctor in supplemento q. 72. art. 3.

RESPONDETUR secundò, sacrum Scapulare, etiam in casuposito, non fore inutile; primò, quia illius intuitu, ut supra diximus, DEIPARA Virgo abundantiora gratiarum auxilia Confratribus procurat, quibus adjuti bona opera exerceant; secundò, præter meritum bonorum operum Confratribus commune cum cæteris Fidelibus, vi boni operis, aliud sperare habent à DEIPARA auxilium titulo Confraternitatis, inquit; cum S. SIMONE nostro contractus, cui sua ex parte tunc satis faciunt.

Exponitur, quomodo etiam in casu supraposito sac. Scapularis gestatio nõ sit inutilis?

RESPONDETUR tertio, retorquendo argumentum. Dum Christus Dominus Joan. 6. proposuit ac commendavit sacrae Eucharistiae virtutem & efficaciam, dicens: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. bona opera, aliaq; ejusmodi, quæ sine Eucharistia in re suscepta possunt sufficere ad salutem, minimè excludit: num propterea inutilem dicemus Eucharistiam? Præterea Extremæ Unctionis Sacramentum, si citra contemptum negligentiamq; omittatur, salutem non impedit: Ergone superfluum existimabimus, eò quòd sine illo vita possit consequi æterna? Alia quoque hic addi possent Mariani SCAPULARIS beneficia, ac privilegia, puta participatio bonorum spiritualium Ordinis, Indulgentiæ, &c. de quibus alijs in Partibus agemus, quæ gestationem sacri Scapularis etiam in supradicto casu non reddent infructuosam.

OBIICIES secundò: vel hæc propositio, In quo quis moriens, &c. intelligitur de totis prædestinatis, vel etiam de præcitis. Si

66.

M

primum



primum dicatur, universaliter non erit vera, quia præscitos non comprehendit: si secundum, cum fundetur in efficacia speciali Orationis, & impetrationis beatissimæ Virginis, sequetur eam orasse pro præscitis, ut salventur, & quantum est ex parte ejus salvari, quod fieri nequit; quia esset aliquid velle & petere dissonum divinæ voluntati, & ejus decreto immutabili, ut patet, quod Beatis in cælo potissimum repugnat.

Dupliciter salutem aliorum petere ac desiderare possumus. Ad Timot. 1. cap. 2. Quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri?

Pro solutione hujus objectionis, advertendum est dupliciter posse justos, vel Beatos in cælo salutem aliorum petere ac desiderare, & pro ipsis orare. *Primo* ex affectu simplici, desiderando quantum est ex parte sua, ut salventur; non enim est hoc contra voluntatē divinam, cum etiam fateatur S. Paulus 1. ad Timoth. 2. c. *DEVM velle omnes homines salvos fieri*; quia quantum est ex parte sua, habet affectum ad salutem omnium hominum, sine ulla exceptione, quem affectum vocat S. Thomas 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. ex S. Joanne Damasceno *voluntatem antecedentem*.

Alio modo possumus salutem alterius postulare à DEO ex affectu absoluto & efficaci, absolute petendo, ut re ipsa salutem consequatur; quod præsertim contingit, quando præcognoscitur id esse conforme voluntati divinæ. Licitum ergo non est petere & orare pro præscitis absolute & efficaciter, ut re ipsa salutem consequantur, quando constat esse præscitos; quia hoc jam esset contrarium divinæ voluntatis decreto. Licitum nihilominus erit orare ex affectu simplici & conditionato, subiiciendo voluntatem nostram efficaci voluntati DEI; & per hoc non petitur, ut non adimpleatur voluntas divina: nam affectus simplex non ordinatur ad effectum re ipsa obtinendum. Et per hoc patet responsio ad argumentum.

Dices, Ergo dicta propositio: *In quo quis moriens, &c.* constat diversis sensibus, iisque ambiguis; ideoque ambigua erit. *Respondetur*: passim hoc in sacra Scriptura deprehendi, plures enim reperiuntur sententiæ prædestinatis & reprobis communes, quæ nihilominus absolute prolata verificantur, tamen ad hoc requiratur, ut in diverso sensu, juxta Orthodoxam doctrinam, accipiantur.

Patet hoc manifestè ex illo Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Ubi vocatio asseritur communis electis & reprobis, cum tamen effectus prædestinationis sit vocatio, juxta Apostolum ad Roman. 8.

Quos

Matth. 20.



Quos prædestinavit, hos & vocavit. Effectus verò prædestinationis non potest esse communis reprobis, & electis: vera est tamen propositio, & de fide, nec difficultatem patitur, si juxta Sanctorum Patrum doctrinam dicatur, de solis prædestinatis intelligi, si pro vocatione, quæ est effectus prædestinationis, sumatur: de prædestinatis verò & reprobis simul, si pro vocatione, quæ est effectus providentiæ communis, capiatur. Aptius ad propositum nostrum Apostolus ad Titum c. 3. *Non ex operibus justificæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per IESUM Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Quæ verba non parvam habent difficultatem; nam vel hic loquitur de electis simul & reprobis, vel tantum de electis: si primum, quomodo hæreditas vitæ æternæ reprobis addicitur, cum electorum sit propria, juxta illud ad Rom. 8. *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem DEI, coheredes autem Christi.* Si verò de electis solum agat, non videtur conforme fidei orthodoxæ; nam Christus meruit omnibus hominibus, tam reprobis, quam prædestinatis primam gratiam, sanantem naturam à lapsu peccati, de qua agit S. Paulus *lococitato*: ac proinde reprobi justificati gratia ipsius hæredes esse possunt vitæ æternæ.

Ad hoc communis est responsio Sanctorum Patrum ac Theologorum, Christum omnibus tam reprobis, quam prædestinatis promeruisse primam gratiam ac vitam æternam, quoad sufficientiam, non verò quoad efficaciam, nisi solis prædestinatis; licet enim pro omnibus sufficiens meritum obtulerit, ita ut esset universalis causa, sive generale pretium, quo omnes uti possent, ut à servitute peccati liberarentur, & vitam æternam consequerentur; non tamen hoc promeruit omnibus, quoad efficaciam, quia non sic applicuit suum meritum, ut omnes infallibiliter talem effectum consequerentur, sed per media ordinata voluit applicari. Unde prædictus locus S. Pauli *ad Titum* 3. & de prædestinatis, atque reprobis simul potest intelligi, & de prædestinatis tantum. Si primum, tunc solum verificari potest, tam reprobos, quam electos quoad sufficientiam ex meritis Christi justificari, & vitæ æternæ hæredes fieri; si verò secundum, tunc verum est quoad efficaciam solum electis sive prædestinatis hæc omnia obtinere; & ita passim alibi,

M 2

PRÆ-

Quando & quomodo vocatio effectus sit prædestinationis?

*Ad Titum*  
3. cap.

Christus omnibus tam reprobis, quam prædestinatis promeruit gratiam & gloriã quoad sufficientiam, non verò quoad efficaciam, nisi solis prædestinatis.



67.

PRÆTEREA obiicit, inter condiciones, quas oratio requirit, ut actu impetret, est pro se orare, non est ergo infallibilis impetratio sanctissimæ Virginis pro alio; adeoq; nec infallibiliter salvantur, qui gestant Scapulare sacrum Ordinis Carmelitarum.

NOTANDUM est orationem dici, & esse infallibilem in impetrando ex vi divinæ promissionis, uti *suprà* tetigimus. Unde sanctus Augustinus: Securi, inquit, de pollicitatione ipsius non deficiamus orando, & hoc ex ipsius beneficio est. Hæc autem promissio non est omnino absoluta, sed conditionata: quod vel inde constat, uti notat idem S. Augustinus, quia non omnia quæ petimus nobis conceduntur.

Requirit ergo condiciones aliquas oratio, quibus deficientibus, ex vi promissionis non impetrat, quia promissio conditionata, non impletâ conditione, non inducit obligationem; cum conditionalis nihil ponat in esse; si verò habeat illas condiciones, tunc est infallibilis impetratio; quia conditionalis impletâ conditione transit in absolutam.

Quatuor condiciones necessario requisitæ ad infallibiliter obtinendam, quod à Deo petimus.

Sancti dupliciter possunt pro nobis orare.

Doctor Angelicus 2.2. q. 83. a. 15. ad 2. ad quatuor condiciones revocat orationis infallibilitatem in impetrando, quibus, inquit, concurrentibus, semper aliquis impetrat quod petit; ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter. quam quidem primam conditionem ideò exigit, quia ad effectum orationis consequendum non debet esse impedimentum ex parte nostra; unde quia in nobis ipsis facile impedimentum omne possumus tollere, secus verò in alijs, requiritur ad impetrandum, ut pro nobis oremus. Explicat hoc varijs in locis idem S. Doctor: Contingit, inquit ibid, a. 7. ad 2. quando, quod oratio pro alio facta non impetrat, etiamsi fiat piè, & perseveranter, & de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum quod est ex parte ejus, pro quo oratur. Distinctius id tradit in supplemento q. 72. a. 3. Dicendum, inquit, quod Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis. Vno modo oratione expressâ, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant. Alio modo quâ oratione interpretativâ, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu DEI excelsi, non solum eis cedunt ad gloriam; sed sunt etiam nobis suffragia, & orationes quædam; sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus, dicitur veniam petere. Vtroq; autem modo Sanctorum orationes sunt quantum est in eis efficaces ad impetrandum, quod petunt; sed ex parte nostra potest esse defectus, quod non consequatur.



consequamur fructum orationis ipsorum, secundum quod pro nobis orare dicuntur, ex hoc quod merita eorum nobis proficiunt; sed secundum quod orant pro nobis, votis suis aliquid nobis postulando semper exaudiuntur, quia non volunt, nisi quod DEVS vult, nec petunt, nisi quod volunt fieri: Quod autem DEVS vult semper impletur, nisi loquamur de voluntate antecedente secundum quam vult omnes homines salvos fieri, que non semper impletur. Vnde nec est mirum, si quod Sancti volunt per hunc modum voluntatis interdum non impleatur.

Ex his apparet, quomodo sit infallibilis impetratio sanctissimæ Virginis in orando, & consequenter, qua ratione sit infallibile non damnari eos, qui moriuntur in Mariano nostro Scapulari.

Primò enim quantum est ex se, semper est infallibilis beatissimæ Virginis impetratio, & inductiva salutis æternæ. Deinde infallibiliter etiam re ipsâ illam impetrat, adeoque efficax est, efficaciam, quæ conjunctam habeat actualem salutem, si nullum aliunde fuerit impedimentum. quippe cum aliæ tres conditiones ad impetrandum requisitæ, scilicet piè, perseveranter, & conducentia ad salutem petere non defint orationi sanctissimæ Virginis; si quarta etiam concurrat, transibit in absolutam impetratio conditionata, ut suprâ dictum est.

Dices, deficit quarta conditio, quia pro alio hîc orat sanctissima Virgo, non pro se, quæ tamen una est & ipsissima ad impetrandum requisita conditio.

Respondetur, ideò requiri ad infallibilitatem impetrationis, ut pro se oretur, non verò pro alio, quia quandoq; in alijs est impedimentum ad effectum orationis consequendum, quod non potest adeò facile tollere is, qui orat, ut debitè alter disponatur. secus autem est, quando quis pro se orat, & tale impedimentum adest, quia potest illud faciliùs tollere, adeoque se disponere ex divina gratia ad obtinendum effectum prædictum. Vnde si nullum interveniat impedimentum ex parte illius, pro quo oratur, non est cur sit fallibilis oratio. Idem quoque tradit S. Basilius in *Regulis brevioribus*. Patetq; ex illo Joannis 14. *Quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* & sæpè alibi, ubi promissio est absoluta, id est, non solum facta pro orante, sed etiam pro illis, pro quibus oratur. Quinimò, si satisfactio nostra pro alijs sit infallibilis, non est cur impetratio sit fallibilis, cum expressiores sint promissiones in Scripturis de hac, quàm de illa: dummodo in illo pro quo oratur, non adsit impedimen-

M 3

tum,

Quando eorum pro nobis orationes exaudiuntur, & quando non?

Quàm sit infallibilis & efficax in impetrando oratio SS. Virginis.

Esto deficiat quarta conditio suprâ assignata, &c.

S. Thomas 2.2. q. 83. art. 7. ad 2.

Regula 261.



tum, & in hoc sensu sunt intelligendi S. Augustinus *hom. 73. & 107.*  
& D. Thomas *2. 2. q. 83. art. 7. & 15.* dum videntur negare infallibi-  
lem esse impetrationem pro alio.

## CAPUT XIII.

*Declaratur aliud fundamentum, ex quo oritur  
prædictum speciale auxilium DEIPARÆ  
Virginis, &c.*

68.

Utrum  
Beati quid-  
piam me-  
reri vale-  
ant?



ADVERTENDUM est primò pro faciliori declaratione  
eorum quæ dicenda sunt, controversiam esse inter Theo-  
logos, an Beati in cælo mereantur de congruo, nam de  
condigno, secundùm ordinariam DEI legem, certum est  
non mereri. Complures antiquiores Theologi, quos refert Suarez  
*lib. 12. de merito cap. 34. num. 4.* ac nonnulli ex modernis, è quorum  
numero est Vasquez *1. 2. disp. 216. cap. 4.* censuerunt posse Beatos sibi  
& alijs aliqua dona gratiæ vel accidentalis gloriæ de congruo me-  
reri. Verùm S. Thomas, & cum eo reliqui ferè omnes Theologi sen-  
tiunt Beatos, sive Angelos, sive homines nihil sibi, aut alijs, neque  
etiam de congruo, mereri posse. Videatur S. Doctor *1. p. qu. 62. a. 9.*  
& *in solut. ad 2. & 3.* & *2. 2. q. 83. art. 11. ad 1.* verùm quidquid sit de  
hac controversia, quam idem P. Suarez, qui consuli poterit, loco *supra*  
*cit.* eruditè discutit ac resolvit, ambigendum non est, posse Beatos  
in cælo & altera vita suis antecedentibus, sive hujus vitæ meritis  
nobis patrocinari & adjuvare, atq; adeò eadem merita nobis de con-  
gruo prodelle, ut docet S. Thomas in *4. dist. 45. q. 3. art. 3. ad 4.* Et  
consentiunt SS. Augustinus, Leo Papa, alijsq; Patres, & Doctores  
Theologi.

*Lib. 21. de  
Civ. Dei,  
c. 27.  
Serm. de  
SS. Petro  
& Paulo.*

*Lib. de præ-  
destin.  
1. 2. q. 114,  
a. 6.*

Duplex  
datur me-  
ritum; &

Secundò advertendum est præter meritum perfectum filiorum  
DEI, quod de condigno vocatur, dari aliud meritum minùs perfectum,  
quod de congruo Theologi appellant, juxta mentem SS. Patrum, ac  
præcipuè Augustinum & D. Thomam. Hoc verò meritum de con-  
gruo probabiliter distinguitur ab impetratione; meritum enim de  
congruo, præcisè sumptum fundatur in dignitate & bonitate operis,  
quatenus in obsequium & honorem DEI cedit, impetratio verò in  
bonitate



bonitate & liberalitate DEI exaudientis; qui proinde preces exaudiendo ut sic solum donare, non autem retribuere vel remunerare dicitur.

quomodo  
ab impe-  
tratione  
distingua-  
tur?

Tertio observandum est, quod ad merendum alteri de congruo necessaria sit quaedam operantis relatio, opus suum referentis in commodum alterius; nam opus bonum ex se non refertur in commodum alterius, sed solum in commodum & bonum ipsius operantis: cum hoc tamen fiat, merita quæ Sancti habuerunt in hac vita, nunc posse nos adjuvare de congruo, etiam si illi sua opera ad illos effectus promerendos peculiari affectu non obtulerint; quia ad merendum hoc modo satis est generalis affectus charitatis, quo cupiunt iusti suis meritis prodesse omnibus, quantum in ipsis est; ut patet ex illo *Genesis* 18. capite: *Si invenero in Sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.* ubi specialem illos iustos in operibus suis relationem ad hunc effectum habuisse, credibile non est.

Quid ne-  
cessarium  
sit ad me-  
rendum  
alteri de  
congruo?

Quarto observandum est, ex doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 114. art. 6. & sequentibus, per meritum de congruo posse promereri alteri plura dona supernaturalia ad salutem conducentia æternam. Cujus rationem reddit S. Doctor loco cit. his verbis: *quia homo in gratia constitutus, implet DEI voluntatem, congruum est secundum amicitiam proportionem, ut DEVS impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoq; possit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis Sanctus justificationem desiderat.* Hanc eandem doctrinam tradit S. Augustinus, & lib. 20. contra Faustum cap. 21. & lib. 21. de Civit. Dei c. 27. Inter hæc verò dona supernaturalia, quæ iustus alteri promereri potest, merito recensentur remissio peccatorum, uti docet S. Thomas loco cit. ad 1. & colligitur ex illo *Matth. 9. & Luca 5. cap. Videns IESVS fidem illorum dixit Paralitico: Confido tibi, remittuntur tibi peccata tua;* in quæ verba S. Ambrosius: *Magnus, ait, Dominus, qui aliorum merito ignoscit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud DEVM servus, & interveniendi meritum, & jus habeat impetrandi.*

Merito de  
congruo  
potest quis  
proximo  
plura dona  
supernatu-  
ralia pro-  
mereri.

Lib. 5. ad  
c. 5. Luca.

His præmissis, facile intellectu erit, quomodo dicatur ille æternum non passurus incendium, qui ritè sacrum Scapulare gestat, & in eo moritur. Etenim dubium non est, quin sacratissima Virgo

69.

multa



Per multa  
& varia be-  
neficia SS.  
Virgo in  
terris posi-  
ta homini-  
bus de con-  
gruo pro-  
meruit, &  
nunc obti-  
net in cæ-  
lis.

Quid sen-  
ferint SS.  
Patres de  
sublimita-  
te ac ple-  
nitudine  
gratiæ B.  
Virginis?  
*Orat. 2. de  
dormition.  
Virg.  
Orat. de  
laud. Virg.  
Serm. de  
Nati. B. V.  
Lib. de ex-  
cellent. V.  
cap. 8.  
In Speculo  
B. Maria  
lect. 5.*

multa & varia hominibus beneficia merito de congruo promeruerit in vita, & modo obtineat ex præcedentibus suis meritis in cælo. Si enim, ut diximus *suprà* ex S. Thoma, ex eo, quod homo in gratia constitutus implet DEI voluntatem, congruum est, secundum amicitie legem ac proportionem, ut DEUS impleat hominis voluntatem in alterius salvatione, profectò præ omnibus mirum in modum hoc debet competere eidem DEIPARÆ Virgini, cùm divinam voluntatem præ Sanctis omnibus longè perfectissimè semper adimpleverit, ideoq; ad sublimissimum inter omnes puras creaturas gratiæ & amicitie cum DEO gradum elevata fuerit. Hanc ineffabilem sanctissimæ Virginis gratiæ sublimitatem & plenitudinem, imò abyssum, sancti Patres unanimi consensu, animisq; præ admiratione suspensis, miris celebrant encomijs. S. Joannes Damascenus vocat illam *Gratiæ abyssum*. *Gratia*, inquit S. Epiphanius, *Beatissimæ Virginis est immensa*. S. Bernardinus Senensis appellat, *Abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti*. S. Anselmus: *Quid amplius dicitur possim Domina? immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tue considerare incipienti, sensus deficit, lingua fatiscit*. S. Bonaventura: *Immensa*, inquit, *fuit gratia quæ ipsa fuit plena*. & ita sancti Patres passim loquuntur de hac sanctissima Virgine post oraculum Angelicum,  *Ave gratia plena. Et benè sola gratia plena dicitur*, ait S. Ambrosius in Lucam lib. 2. cap. 1. *quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratia repleretur Authore*. Subdit D. Hieronymus Tom. 9. Epist. 10. ad Paulam: *Et benè plena, quia cæteris per partes præstat, MARIÆ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ*. Sexcenta similia testimonia SS. Patrum idem attentia hic adduci possent, quorum diffusam seriem Lector reperiet in Opere inscripto, *Corona Anni Mariani*, mense Septembri, &c. à nostro Ioanne Thoma à S. Cyrillo, Colonia primùm edito, & auctius recuso Salisburgi.

Nec deest ratio, quæ id persuadeat & confirmet. Nam certum est, juxta complures Doctores ac Theologos sanctissimam Virginem in primo instanti suæ conceptionis ampliori ac perfectiori gratia fuisse donatam, quàm supremum Angelum in sua creatione, & sanctificatione. Sed hæc eadem Virgo non paucis, ut ille, sed innumeris atq; continuis toto vitæ decursu, septuaginta duorum annorum spatio, juxta veriorum sententiam, actibus perfectissimis, & ex toto conatu



conatu atque viribus, & intensione præcedentis gratiæ & charitatis elicitis, ejusdem gratiæ augmentum & perfectionem promeruit: debet proinde fuisse quasi immensum illud ipsum gratiæ augmentum; imò immensissimum fuisse intrepidè, audenterq; affirmat Seraphicus Doctor S. Bonaventura loco supra cit. lect. 5. inquit: *Gratia MARIÆ, gratia verissima, gratia immensissima, gratia multiplicissima, &c.* Immensitatem quoque & supereminentem excessum gloriæ ejus, cujus semen est gratia, optimè elegantissimèq; describit, ex recentiori quodam DEIPARÆ amoris cultusq; studiosissimo, noster Franciscus à JESU-MARIA Tom. 2. commentar. in Apocalypf. cap. 19. sect. 3. his, mysterijs gravidis, verbis: *Candidè & ingenuè profiteamur, gloriam ac beatitatem MARIÆ longè ampliorem esse gloriâ Sanctorum atq; Angelorum omnium: tantòq; excedere, quantò vasta celi totius circumferentia punctulo uno diffusior est, quantò splendidum solis subar exiguâ candela luce est luminosius, quantò vastus oceanus unâ aque guttula, & totus terra globus pugillo pulveris est corpulentior.* Et alibi: *Multi Sancti, ac pleriq; Doctores affirmant Virginem Matrem plus gloriæ solam adeptam esse, quàm omnes Sancti, Angeliq; simul: adeò ut si posset singulorum gloria conglobari, & in quadam quasi libra cum DEIPARÆ Virg. sola gloria ponderari, tantum hæc propensura esset, ut terram & mare posset deprimere.* Ita ille. Et quod ipse de gloria, idem quoq; de gratia asserendum est. Francisco jungo Josephum à JESU-MARIA, pietate Marianâ ac sacrâ facundiâ ei supparem: qui in Opere supra laudato lib. 5. cap. 31. & 32. pereleganter de his discurret. Videantur etiam nost. Elias à S. Terefia in Legatione Ecclesie Triumphantis ad militantem lib. 2. cap. 10. & præfatus P. Joan. Thomas lib. de laudibus S. Annæ Cap. 21. num. 26. & ab illo citati Authores.

Quàm im-  
mensa ejus  
sit gloria?

Jam verò quod attinet ad impletam DEI ab eadem sanctissima Virgine voluntatem in summè excellenti, & heroico prorsus gradu, nemo sanæ fidei de hoc dubitare poterit. Quod egregiè inter alios docet S. Bernardinus his verbis: *Adfuit illi ardor charitatis eo modo, quòd mens illius in ardore dilectionis continè tenebatur; DEVS enim illius menti se mirabilissimè iniunabat, omnesq; ejus potentias inferiores subditas, sub rationis imperio continebat. Aderat illi objectum Divinitatis, eò quòd semper habuit continuum aspectum ad DEI beneplacitum, promptumq; consensum semper gerebat in mente, divina beneplacita adimplendi. Vnde in ipsius persona agebat Propheta: Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Et rursus: *In*

Tom. 2.  
serm. 51.  
art. 2. c. 1.

N

Virginis



Virginis voluntate tantâ pulchritudine divinus amor infusus est, quod nihil ellegere vellet, nisi quod DEI Sapientia premonstrabat. Hoc ipsum S. Brigittæ per Angelum revelavit DEUS: In eodem puncto, inquit, quo gloriosa Virgo primò DEI cognitionem habuit, ejusdem Virginis benedicta voluntas DEI servitio se subjecit; nam omnia, quæ ipsi DEO placere cognovit, delectabilior sibi persicere placuit.

Hinc jam deducere manifestè poterimus sanctissimæ Virginis excellentissimè competere meritum de congruo respectu totius generis humani. Quippe cùm in excellentissimo supra omnes puras creaturas gradu gratiæ sit constituta, & DEI voluntatem perfectissimè semper adimpleverit, congruum planè est, ut etiam DEUS ejus voluntatem circa hominum salutem adimpleat. Quod certè unanimiter SS. Patres significarunt; & imprimis S. Augustinus inquit:

*Serm. 35. de Sanctis.*

*Auctrix peccati EVA, Auctrix meriti MARIA: EVA occidendo obfuit, MARIA vivificando profuit: illa percussit, ista sanavit.* S. Chrysologus: *Vna peccata sic DEVM in sui pectoris caput, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, vitam gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum calidibus parentelam, ipsius DEI cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione.* Deinde:

*Serm. 140.*

*Ipsa, inquit, Angelus miratur omnes homines vitam meruisse per feminam. Sanctus Anselmus, Scimus, inquit, Beatam Virginem tanti esse meriti gratiæ apud DEVM, ut nihil eorum, quæ velit efficere, possint aliquatenus effectu carere.* Consentiant SS. Ephrem *Orat. ad sanctissimam Virg. Germanus de Zona Virginis. Damianus de Annuntiatione.*

*Serm. 142.*

Quod si hæc vera sint spectatâ rei naturâ, quid dicendum erit in particulari casu nostro, ubi specialis de hoc revelatio, & Mariæ voluntatis significatio adest? Enimverò specialiter illa per revelationem B. nostro SIMONI exhibitam, quam supra divinam fuisse ostendimus, significavit, eos, qui sacro Carmelitarum Scapulari insigniti fuerint, æternum non passuros incendium; cujus promissionis veritatem non immeritò refundimus in meritum sanctissimæ Virginis de congruo: quandoquidem juxta S. Anselmum supra citatum, ex vi hujusmodi meriti, possit efficaciter piissima Virgo præstare & promittere, quæcunq; voluerit. Neq; ad hoc necesse est novo sanctissimæ Virginis merito, aut speciali relatione, qua in hoc mundo obtulerit opera sua, ordinaveritq; ad tale beneficium obtinendû pro Confratribus sacri Scapularis. quia ultra id quod omnibus prodelle voluit,

Ex cōgruo  
Deiparæ  
Virg. meri-  
to procedit  
speciali  
auxilium,  
quo medi-  
ante Con-  
fratres e-  
jus æternū  
non pati-  
entur in-  
cendium.

Quod si hæc vera sint spectatâ rei naturâ, quid dicendum erit in particulari casu nostro, ubi specialis de hoc revelatio, & Mariæ voluntatis significatio adest? Enimverò specialiter illa per revelationem B. nostro SIMONI exhibitam, quam supra divinam fuisse ostendimus, significavit, eos, qui sacro Carmelitarum Scapulari insigniti fuerint, æternum non passuros incendium; cujus promissionis veritatem non immeritò refundimus in meritum sanctissimæ Virginis de congruo: quandoquidem juxta S. Anselmum supra citatum, ex vi hujusmodi meriti, possit efficaciter piissima Virgo præstare & promittere, quæcunq; voluerit. Neq; ad hoc necesse est novo sanctissimæ Virginis merito, aut speciali relatione, qua in hoc mundo obtulerit opera sua, ordinaveritq; ad tale beneficium obtinendû pro Confratribus sacri Scapularis. quia ultra id quod omnibus prodelle voluit,



voluit, & omnium salutem procuravit, quantum in ipsa fuit, juxta SS. Patres, singularis est ratio respectu eorum, qui ritè gestant hunc habitum Virgineum, adeòq; isto modo potuit tale beneficium illis de congruo promeruisse. Nam ex eo, quod speciali filiatione conjunxerit sibi Virgo Mater eos, qui prædictum suum habitum gestant, promeruit quod specialiter ipsdem DEUS benefaciat, etsi in vita sua nihil de hoc cogitaverit, dum meritorie operabatur, quia implicitum seu præsumptum ejus desiderium ad hoc sufficit: uti de justis in universum annotat P. Suarez. Accedit quod, uti dicebamus, specialis de hoc adsit revelatio, per quam sanctissima Virgo voluntatem suam distinctè & expressè declaravit, atq; ideo sicut ex *Genesi* 18. colligimus, quod DEUS civitatibus Sodomorum propter decem justos, si intra eas inventi fuissent, pepercisset, tametsi opera sua ad eum finem prædicti justis non retulissent, sufficiente nobis ad hujus rei veritatem divino testimonio: ita sanè cum serenissima Virgo declaraverit & revelaverit non passuros sempiternum incendium, qui sacro Scapulari investiantur, & requisitas ab ea adimplent conditiones, tametsi illa specialiter ad hunc finem in vita sua non fuisset operata, sufficere nobis debet tantæ Virginis & DEI Matris testimonium.

Dicit aliquis, dubium non esse quin potuerit prædictis Confratribus necessaria ad salutem beneficia promereri DEIPARA Virgo ex merito congruo; verùm tamen ejusmodi meritum non habere certum & infallibilem effectum, adeòq; ex vi talis meriti non posse absolutè verificari, quòd æternum non patientur incendium, qui sacrum ejus Scapulare gestaverint; sed potiùs congruum duntaxat hoc esse, nullatenus autem debitum ex justitia. Huic dubitationi in sequenti Capite satisfaciemus.

## C A P U T XIV.

*Satisfit difficultati ex superiore Capite procedenti.*



Ro resolutione difficultatis propositæ in fine præcedentis Capitis, advertendum est *primò*, meritum *de congruo*, tametsi perfectionem meriti *de condigno* non attingat, in suo tamen ordine esse verum meritum. Ratio est, quia de

70.

N. 2

ratione



ratione meriti solum est, ut sit opus bonum & dignum, cui retributio aliqua ex quodam debito respondeat, ut constat ex SS. Patribus Augustino, Prospero, Fulgentio, & alijs. Meritum verò de congruo involvit aliquam rationem debiti, quod sufficit ad excludendam liberalem & omninò gratuitam donationem; adeòq; quod ex hujusmodi merito datur, non donari sed retribui dicitur, prout non semel loquitur Augustinus contra semipelagianos; imò *mercedem* vocat, quod sic retribuitur; *Lib. de Prædest. Sanctor. cap. 2.* Relinquitur proinde, quod meritum de congruo habeat rationem veri meriti, quia non metaphoricè, sed per aliquam proprietatem tale est.

*Secundò* advertendum est, quòd meritum de congruo respectu alterius, id est, quando aliquis meretur alteri nititur maximè, & plurimùm in conditione merentis & operis ejus, adeòq; potissimùm sanctitas personæ merentis attenditur, juxta illud D. Ambrosij: *Si diligis Dominum DEVM tuum, non solum tibi, sed etiam alijs poteris emeri.* Ratio verò hujus est, quia hoc meritum magna ex parte fundatur in lege amicitiae inter DEVM & operantem, adeòq; prærequirit charitatem & sanctitatem in operante: Ex quo sequitur eum, qui majori cum DEO amicitia & charitate conjunctus est, faciliùs pro alijs emereri, & efficacius obtinere, quod promeretur.

*Tertiò* notandum est, id quod redditur sive retribuitur, ex merito de congruo, non reddi vel retribui à DEO ex virtute gratitudinis; nam hoc repugnat DEO, uti potest colligi ex D. Thom. 2. 2. q. 106. neque misericordiae, aut liberalitatis; quia meritum de congruo, ut dicebamus suprà, cum sit verum meritum puram gratiam seu gratuitam donationem excludit, in quantum tale: ideoq; retributio, quæ fit à DEO intuitu meriti de congruo pertinet juxta probabilem sententiam ad quandam DEI justitiam, quam D. Anselmus in *Prologo cap. 10. & seqq.* & S. Thomas 1. part. q. 21. *decentiam divinæ voluntatis seu providentiæ* appellant, atq; alij, inter quos P. Suarez, *Tract. de divina Justitia, sect. 4. Justitiam generalem, aut quasi legalem, seu Justitiam providentiæ, aut providentialem* vocant: eamq; varijs modis & exemplis exponunt. Ad hanc justitiam pertinere volunt, eminentissima gratiæ, scientiæ, ac virtutum ornamenta humanitati Christi collata, ratione unionis Hypostaticæ: in illis enim conferendis non solum respexit DEUS rationem misericordiae & liberalitatis, verum maximè

*Cap. 3. Retract.*

*Dub. 3. ad excerpt. Genues.*

*Lib. de Incarnat. & grat. c. 18.*

*Lib. 7. in Luc. c. 11.*

Id quod redditur à DEO ratione meriti de congruo non ex gratitudine, misericordia, aut liberalitate, sed ex quadam Dei justitia confertur. & quænam illa, enucleatius exponitur.



maximè exigentiam quandam & condecantiam VERBI uniti: quæ tanta est, ut censeatur maximè pertinere ad divinam Sapientiam non aliter naturam assumere. Eadem etiam ratione ad hanc generalem Justitiam spectat retributio meriti de congruo: actus quippe remunerandi meritum de congruo seu benefaciendi intuitu illius, & cum proportione ad illud est hujus justitiæ maximè proprius. quia esto non attingat rationem propriam, obligationemq; Justitiæ divinæ particularis, quam in remunerando merita de condigno observat, servat nihilominus modum aliquem Justitiæ, quatenus respicit aliquale debitum in operibus fundatum, atq; æquitatem quandam respectu illius observat. Alij paulò aliter hoc explicant, asserentes ad hanc *providentialem Justitiam* spectare præmium pro merito de congruo reddere; tum ratione amicitie DEUM inter & personam alteri merentem intervenientis: tum ratione operis, bonitatem talem in se habentis, quæ sufficit ad hoc, ut deceat DEUM intuitu ejusmodi operis beneficium aliquod homini reddere. Attributum igitur divinum nostro intelligendi modo inclinans divinam voluntatem ad reddendum præmium ratione meriti de congruo, *Justitia* appellatur: licet enim in hoc non operetur ex debito propriæ Justitiæ; ideòq; propria Justitia minimè sit, imitatur tamen illam aliquale debitum, uti dictum est, respiciendo.

*Quartò* animadvertendum est, non esse contra naturam meriti de congruo, quod in promissione DEI fundetur. Ratio hujus est, quia ex tali promissione non resultat statim proprium Justitiæ particularis debitum, quale ex merito de condigno resultat. Nam præter promissionem requiritur operis condignitas, secundum æqualitatem proportionis ad ejusmodi meritum de condigno, seu præmium; solum ergo resultabit ex merito de congruo, si adsit promissio, debitum fidelitatis, ultra debitum congruentiæ & decentiæ seu Justitiæ generalis suprâ expositæ, quod negare DEUS non potest; quia neque infidelis, neque injustus esse potest, cum *seipsum negare non possit*, uti Paulus ait. Hinc P. Suarez multiplex meritum de congruo distinguit, ait: *Primo meritum de congruo quoddam est habens adjunctam promissionem; aliud verò esse potest illa carens. Secundo meritum de congruo quoddam est habens infallibilem retributionem, quia saltem sine infidelitate negari non posset, &c.*

Declaratur  
quænam ad  
generalem  
sive provi-  
dentialem  
DEI Justi-  
tiam perti-  
neant.

Utrum me-  
ritum de  
congruo  
necessariò  
excludat  
promissio-  
nem DEI?  
2. ad Tim.  
2. v. 14.



71.

HIS præmissis & suppositis, tripliciter satisfacere possumus propositæ difficultati. *Primo* quidem ex secunda suppositione sive observatione in principio hujus Capituli adductæ; nam, uti vidimus, crescit & augetur meritum de congruo, consequenter debitum inde resultans, ex dignitate operantis, sive pro altero merentis, potissimum verò ex proportione amicitiae, &c. Quæ verò unquam major dignitas, vel intimior proportio amicitiae fuit, quàm sanctissima Virginis cum DEO? sive enim amicitiae leges ex Philosopho, aut D. Thoma consideremus, sive singulariter SS. Patrum testimonia, ponderemus circa mutuum sanctissimæ Virginis cum DEO amorem, profectò nullibi præstantius, aut perfectius illas aut hunc extitisse reperiemus. Sufficiat pro hoc loco, ut brevitati studeamus, referre in hujus veritatis testimonium S. Bernardum, qui mirificè amicitiae hujus magnitudinem descripsit, referente S. Bonaventurâ his verbis: *Quis dubitare, inquit, poterit omninò in charitatis affectionem transisse visam MARIÆ, in quibus ipsa quæ DEVS est charitas novem mensibus corporaliter quievit.* Ex quibus apparet, MARIAM non tam amantè dicendam esse, quàm dilectionis & amicitiae naturam induisse. Uti scitè deducit S. I. dephonsus, *MARIAM velut ignis ferrum, inquit, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit; ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris DEI, &c.*

De reciproca verò DEI erga sanctissimam suam parentem dilectione dubium non est, quin intensissimè eam prius, & sine interruptione dilexerit. Duo quippe hæc, inquit Gregorius Nyssenus, ad invicem transeunt. Et S. Anselmus: *Ostendit ergo, inquit loquens de Christo respectu Virginis, ipse prius amorem, quem habebat erga Matrem Virginem, & amorem, quo nullum putemus esse posse majorem.* Et infra: *Quid ergo hic dicemus? Estne putatis, ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam DEVS ad hanc Virginem habuit, queat penetrare? potestne, quævis, ullus hominum & Angelorum istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitatem honoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile?* Ex his & alijs testimoniis quàmplurimis, apparet summam & supremam fuisse inter DEUM & Virginem Matrem amicitiam, quam paucis verbis eleganter S. Bonaventura comprehendit in hunc modum: *Quid mirum, inquit, si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta?* Quapropter cum tanta inter DEUM & Virginem Matrem amicitiae ratio & proportio inveniantur, quæ

*Lib. Ethic.  
2. 2. 9. 25.  
4. 7.*

*Quanta fuerit SS. Virginis in Deum amor & amicitia; & reciprocè Dei erga illam demonstratur.*

*Oratione 1. de Assumpt.*

*Orat. 6. in Cantica.*

*Lib. de excellentia Virginis.  
1. 4.*

*In Speculo B. Mariae lect. 6.*



quæ, uti cum Anselmo dicebamus, major esse nequit, Maternitatem DEI in eadē Virgine potissimum attendendo, tantum debuisse & potuisse promereri pro alijs merito de congruo videtur, quantum puræ creaturæ possibile fuit; adeòq; ad certitudinem & infallibilitatem omnimodam moraliter loquendo pervenit, obtinendi re ipsa, quæ ita emeruit. Potuit ergo in hoc sensu eadem sanctissima Virgo certiores reddere B. SIMONEM nostrum, ex vi prædicti meriti, de salute æterna Confratrum nostrorum, licet, uti dictum fuit, possit tale habere meritum nonnunquam impedimentum ex parte illorum, quoad hunc suum effectum.

Nec refert, quod hæc certitudo & infallibilitas, quantum est ex hoc capite, sit solummodo moralis. Nam hæc sufficit, uti patet ex varijs sacræ Scripturæ locis. Joan. 3. c. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ibidem: *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus.* Ad Rom. 8. *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, &c. poterit nos separare à charitate DEI.* Hæ & similes propositiones veræ sunt, & de fide, & tamen in morali solum certitudine fundantur.

Accedit quoque ad hanc certitudinem moralem, certitudo quasi physica, quæ fundatur in bonitate ipsius operis de congruo meritorij, ratione cujus præmium redditur ex Justitia in DEO providentiali seu generali, ut diximus in animadversione tertia. Nec obstat quod ex sola divina promissione oriatur verè & propriè certitudo præmij reddendi; nam bonitas operis, quatenus ex gratia procedit, proportionem habet ad præmium, adeòq; vim habet, ut ex ea sequatur præmium: sicut semen habet vim connaturalem & proportionatam intrinsecè, ut ex ipso nascatur arbor, licet actu & formaliter longè sit minus arbore; uti docet S. Thomas 1. 2. q. 114. art. 3. ad 3.

Ex quo consequitur opus meritorium de congruo, spectatà ejus bonitate, habere quasi physicè effectum certum & infallibilem, ex vi proportionis ad præmium: *proportionis* dico, non æqualitatis seu condignitatis, sed congruitatis & condecenciæ. Et licet seclusà DEI promissione, prout in præsentis loquimur, possit non sequi effectus, sive præmium meriti de congruo, sufficit tamen certitudo sive infallibilitas ex vi prædictæ proportionis resultans ad verificandum, quòd

Quantum ratione hujus amicitia merito de congruo pro alijs emereri potuerit & adeòq; æternam salutem Confratribus &c. promittere.



quod effectus meriti de congruo sit certus & infallibilis, quantum est ex se, tametsi eum possit negare DEUS sine injustitia. Quia illa concordantia Justitiæ, quæ videtur esse in creatura respectu rei sibi congruentis est particularis, quæ propter aliam universalem prætermitti potest sine injustitia, etiam in rectitudine illius Justitiæ.

Applicando igitur hæc omnia ad materiam præsentem, dicimus certum omninò esse *rite* morientem in Mariano Scapulari æternum non passurum incendium, quantum est ex efficacia & infallibilitate meritorum sanctissimæ Virginis de congruo, præcisè stando intra limites ejusmodi operum secundum suam bonitatem, seclusâ DEI promissione sumptorum.

Nec obest sequi posse taliter morientem damnari, sufficit enim ad prædictam veritatem, quod merita Virginis quantum ex se hoc requirant & exigant, licet aliundè impediatur talis effectus.

72.

POSTREMÒ tandem directè possumus satisfacere prædictæ difficultati, nempe ex vi promissionis divinæ, ex qua oritur omnimoda certitudo præmij conferendi, uti in ultima animadversione explicuimus. Cæterum, uti apertè constat ex revelatione S. SIMONIS nostri, & latè suprâ ostendimus, adest hic promissio & voluntas expressa beatiss. Virginis circa salutem æternam eorum, qui *rite* moriuntur in Scapulari Parthenio, quæ voluntas non potest non esse conformis voluntati divinæ, uti patet. Reducendo ergo hanc promissionem Virginis ad merita ejusdem, in quibus illa fundari potest, præsupponenda est omninò DEI voluntas acceptandi, vel ordinandi illa eadem merita ad hunc effectum; quæ acceptatio sive ordinatio promissionem involvere censetur: cum hæc duo moraliter non separentur, uti notat ex opinione communi Theologorum P. Suarez loco citato de merito. c. 18. n. 1. Videtur ergo, quod aliqua DEI promissio hic intervenerit, quæ licet aliter nobis non innotescat, non tamen repugnat, neque ex parte DEI, neque ex parte meriti de congruo; imò multum facit ad firmandam promissionem Virginis. Præterea esto adeò expressa non sit, sufficit tamen ad certitudinem sive infallibilitatem salutis æternæ, quantum est ex parte ejus. Sicut juxta Augustinum lib. 1. Retract. c. 22. & lib. 19. contra Faustianum cap. 31. sufficiens fuit promissio facta justis in veteri testamento de regno cælorum, etsi non adeò expressa, proportionem tamen servatâ, &c.

CAPUT



## CAPUT XV.

Tertium Fundamentum, ac ratio particularis auxilij  
 DEIPARÆ Virginis in liberandis Confratribus  
 suis ab infernali incendio aperitur &  
 exponitur.

**S**UPPONENDUM est primò ex Doctoribus Juris, Bartholo-  
 lib. 1. §. per hanc. ff. de rei vendicat. Covarruvia Regul. pecca-  
 tum part. 2. §. 9. n. 8. & alijs, Dominium universaliter  
 sumptum, dividi in *Dominium jurisdictionis* & *Dominium pro-*  
*prietatis*. Dominium Jurisdictionis est quædam potestas, seu facultas  
 alicujus auctoritatem & eminentiam super alios habentis, in ordine  
 ad eorum regimen & gubernationem: estq; duplex, Ecclesiasticum  
 seu spirituale super animas; & temporale seu politicum ad civilem  
 administrationem spectans. Dominium proprietatis non solum dicit  
 potestatem & Jurisdictionem in rem aliquam, sed ita eam subjeit &  
 mancipat Domino, ut de illa liberè disponere, uti, ac alienare sine  
 injuria cujusvis, nisi lege prohibeatur, possit: quod sanè Dominium  
 Jurisdictionis non dicit. Nec enim Rex aut Princeps est Dominus  
 domus aut fundi, quem subditus possidet, sed ipse subditus; nec sub-  
 diti ut mancipia Regi aut Principi addicta sunt, sed Vasalli vocantur.  
 Relicto verò hoc Dominio proprietatis, de quo plura dici possent  
 ad laudem DEIPARÆ, nisi à presenti instituto aliena forent, de  
 Dominio Jurisdictionis duntaxat hinc agemus. Et ut ijs, quibus Juris  
 termini minus noti sunt, nos accommodemus, hoc Dominium po-  
 testatem vel imperium nuncupabimus, non verò Dominium, relicto  
 hoc vocabulo pro Dominio proprietatis.

**S**UPPONENDUM est secundò, quòd Christus Dominus etiam  
 ut homo, præter regiam potestatem, civilem & politicam, quam ha-  
 buit super omnes Reges & Principes, quâ licet usus non fuerit, uti  
 nihilominus liberè potuisset: præter, inquam, hujusmodi potestatem  
 obrinuerit spirituale dominium seu potestatem in animas, quo eas  
 sanctificare, gratiam conferre, peccata remittere, & his similia operari  
 valebat excellenter & authoritative, dependenter tamen à VERBO  
 divino.

73.

Dominium  
 est duplex,  
 Jurisdic-  
 tionis scilicet  
 & proprie-  
 tatis.

Exponitur  
 utrumque.

Christus  
 Dominus  
 præter re-  
 giã ac ci-  
 vilem &c.  
 potestaté,  
 habuit etiã  
 dominium  
 spirituale  
 in animas.



divino. Unde *Matth. cap. ult.* fatetur de se ipso: *Data est, inquit, mihi omnis potestas in celo & in terra.* Ubi non obscure docet id, quod paulo ante dicebamus. Qui enim dixit *omnem potestatem*, nullam exclusit, quæ in hominem cadere potest: ac proinde excellentem ac supremam asseruit, sive ex objecto eam consideremus, sive ex firmitate & stabilitate, sive ex multiplicitate rerum ad quas ea extenditur. Deinde eo ipso, quod notanter dixit: *Data est mihi*, dependentiam VERBO divino non obscure insinuat, illasâ tamen verâ & propriâ ratione suæ potestatis.

Ex his possumus ad sanctissimam Virginem transitum facere, atque à fundamento non dissimili ostendere, quomodo ei competat spirituale Filij sui imperium & potestas in animas, ad eas sanctificandas, & à gehennæ igne liberandas, adeoq; potuisse non vi intercessionis tantum, uti *Capite XI.* diximus; neque meriti, uti *C. XIII.* asserimus, sed potestativè & autoritativè ex vi hujusmodi potestatis nostro S. SIMONI revelare, ac promittere, quòd qui moreretur in nostro sacro habitu sive Scapulari, æternum non esset passurus incendium.

74.

Deiparæ  
Virg. im-  
perium nõ  
est meta-  
phoricum,  
sed verum  
ac propriũ.

Trib<sup>9</sup> mo-  
dis acquiri  
potest do-  
minium.

TRIA verò hic sunt observanda, antequam ulterius progrediamur. *Primum*, nos hic non agere de imperio seu potestate DEIPARÆ Virginis metaphoricæ & impropria, sed vera & propria sibiq; in omni rigore debita, quum communem planè cum Filio potestatem & imperium sortiatur; tamen illud exercere, nisi ex voluntate & virtute Filij sui, & ad nutum ejusdem possit.

*Secundò*: Tripliciter potest alicui potestas seu imperium esse & propriè obvenire. *Primò* à natura ipsa. Sic Christus Dominus imperium obtinuit: Deitas enim humanitati sociata, supremum illi omnium rerum imperium & potestatem attulit. *Secundò*, potest aliquis meritis suis regnum aliquod vel imperium sibi adipisci, qualiter etiam Christus Dominus per suæ Passionis meritum spirituale regnum animarum acquisivit, re ipsa illas sibi subijeiendo, & ab imperio diaboli in suum transferendo. *Tertio*, potest quispiam electione aliqua vel donatione in potestate vel imperio constitui. Inter quæ hæc est differentia, quòd si hæc à natura, vel ex meritis filio contingant, non possint non in proprios parentes verè, proprièq; transire. Ratio prioris est: nam cum filius naturaliter proprijs parentibus sub-  
jaceat,



jaceat, parentesq; naturâ ipsâ superiores sint, quæcunq; filius naturaliter obtinet, parentibus necessario cedunt, atque in illos redundant. Ratio verò alterius est: quia ex naturæ legibus non solum opes, quas filius acquirit, verum etiam omnia alia jura & potestates parentibus accrescunt, (loquimur de jure naturali, omissis emancipationibus juris civilis.) si verò filius imperium, vel quidpiam simile electione, aut donatione obrinuit, tunc sanè non transit à filio ad parentes, licet inde non parum illi honestentur. Ratio hujus est, quia illud ab electoribus vel collatoribus pendet, atque id ipsum voluntas ipsorum metitur: quapropter illi tantum personæ accedit, cui electores deferunt illud.

Postremo, & consequenter ad ea, quæ modò dicebamus, observandum est, jure materno in sanctissimam Virginem refluere potestatem, seu imperium illud, quod Christo à natura vel meritis proprijs competit, cumq; potestas seu imperium spirituale in animas ei competat: primò ex natura rationis unionis cum VERBO divino: secundò, ratione redemptionis & meriti infiniti per sanctissimam Passionem suam, & non ex electione, vel donatione aliqua; sequitur verè, & propriè, & non metaphoricè sacratissimam Virginem communem cum Filio potestatem habere; idèdq; spirituale imperium in animas. Hoc luculenter expressisse videtur pijsimus Arnoldus Carnotensis in Tract. de laudib. Virg. his verbis: *Nec à dominatione vel potentia Filij Mater potest esse sejuncta: una est MARIÆ & CHRISTI caro & spiritus, una charitas; & ex quo dictum est ei: DOMINVS TECVM, inseparabiliter perseveravit promissum & donam.* Animadvertenda est subtilis illorum verborum, *Dominus tecum*, interpretatio. voluit quippe hinc Author verbis illis significari, & Virgini DEUM adhæsisse, & in imperij communionem & societatem illam ascivisse. Attegit enim: *Vnitus divisionem non recipit, nec secatur in partes: & licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest, & Filij gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem.*

Quod ut ulterius explicemus, sciendum & recolendum est ex secunda suppositione supra adducta, & ex S. Thoma 1. 2. q. 112. a. 1. Christum Dominum in quantum homo est, potestatem habere sanctificandi homines, producendi in eis gratiam, remittendi peccata, & salvandi, & præservandi ab æterna damnatione, non quidem ut causa

Quomodo  
Deipara  
participa-  
verit Chri-  
sti Dñi im-  
perium?



principalis, sed ut organum Divinitatis sive instrumentum VERBO conjunctum; quæ potestas in actu primo debetur Christo à natura; est enim quasi proprietas ipsam unionem VERBI consequens. Proinde non immeritò docet Anselmus hujusmodi facultatem seu potestatem habuisse Christum ab instanti suæ Conceptionis. Quam opinionem amplectuntur Theologi, cujus potestatis usum in decursu vitæ pro temporum opportunitate demonstravit; quam etiam retinet nunc in celo, non tantùm in ordine ad Beatos, dona plurima ad eorum beatitudinem accidentalem spectantia conferendo, verum etiam in ordine ad universam Ecclesiam militantem; omnes enim gratiæ, & dona supernaturalia, quæ in ea conferuntur Fidelibus, per sanctissimam Christi humanitatem conferuntur, adeòq; Christus est, qui sanctificat, qui gratiam producit, qui peccata remittit, in sensu quo suprâ diximus.

Jam verò cùm omne imperium seu potestas, quæ Filio à natura competit, refluat in Matrem (stando in jure naturali & excluso semper civili) dubio procul præfata Christi Domini potestas sanctificandi animas, & eas à pœnis infernalibus præservandi, necessariò in sanctissimam Virginem transibit, jure materno & naturali; & hoc est imperium illud spirituale, de quo suprâ egimus. Usus verò sive exercitium hujus potestatis (physicè & regulariter loquendo) soli Christo competit, Sacramentis verò velut instrumentis. Unde beatus Athanasius dicit hanc spirituales potestatem DEIPARÆ esse secundùm sexum fœmineum, qualiter nimirum solet esse in matre cœlestem Regis, quæ tametsi verè & propriè sit Regina, & imperium seu potestatem habeat ad ea, ad quæ Rex habet, non tamen usus seu exercitium dominij illi conceditur, sed filio Regi, quando sufficiens est ad regendum, & imperandum, uti fuit Christus ab instanti suæ Conceptionis. Cùm hoc tamen stat, quòd mater velut Regina ad nutum habeat in filio usum, sive exercitium hujus potestatis. Ita planè res habet in sanctissima Virgine, licet enim illa non habeat in genere cause efficientis usum seu exercitium sanctificandi animas, & eas ab inferno liberandi, habet tamen hoc in Filio ad nutum, velut verè & propriè Regina, cui competit jure naturali potestas illa in actu primo, ex redundantia à Filio in Matrem.

75.

Ex his præmissis facillè erui poterit sensus, & veritas promissionis



nis DEIPARÆ; nempe quod qui vitè moritur in sacro ejus Scapulari, æternum non patietur incendium. Cùm enim sanctissima Virgo verè & propriè sit Regina, imperiumq; materno jure in animas habeat: potuit illa ex vi hujusmodi imperij, quasi in actu primo velle talia auxilia, & beneficia divinæ gratiæ, quæ conducunt ad salutem illius, qui sacro Virginis habitu investiretur: tametsi in actu secundo exercitium & collatio hujusmodi beneficiorum & auxiliorum ad dilectissimum Filium suum spectet, cujus voluntas & actus in conferendo, præfata serenissimæ Virgini ad nutum præstò est.

Quod verò diversa sit hæc explicatio à præcedentibus patet. Nam sicuti nonnulli Theologi inquirentes de eadem Virgine DEIPARA, an nostræ salutis fuerit causa, vel nos redemerit: accuratè hæc tria distinguunt. *Primò*, esse causam salutis nostræ impetrando. *Secundò*, merendo merito de congruo. *Tertiò*, concipiendo Christum, adeoq; jure materno influendo in nostram redemptionem. Ita sanè aliud est, quod salus æterna morientis in sacro Scapulari desumatur & repetatur ab impetratione, vel merito de congruo sanctissimæ Virginis, aliud quod à potestate spirituali ejusdem in animas, influendo suo modo, jure materno in salutem earum; impetratio enim nullum inducit debitum ad hunc effectum; meritum verò de congruo, si debitum aliquod inducit, non tamen rigorosum Justitiæ: at spiritualis illa potestas, de qua agimus, debitum inducit naturale Filij erga Matrem: ratione cujus, singulare quid est, & longè diversum à præcedentibus, ut mox apertius constabit.

## CAPUT XVI.

*Explicatur uberiùs doctrina Capitis præcedentis, & ex SS. Patribus confirmatur.*

**N**ON desunt multiplicia SS. Patrum testimonia ad rem nostram præcedenti capite expositam, uberiùs elucidandam, confirmandamq;e. Celebre imprimis est testimonium D. Athanasij, *Sermone in Euang. de DEIPARA*: *Quandoquidem, ait, ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemq; Dominus & DEVS: eapropter & Mater, qua eum genuit, & Regina, & Domina, & DEIPARA pro-*

76.



Quare  
Deipara  
Virg. verè  
& propriè  
omnium  
creaturarū  
fit Regina  
& Domi-  
na?

propriè & verè censetur. Observandus est hic discursus, & unde regnum, vel imperium sanctissimæ Virginis deducatur; nimirum, quia Rex est, qui natus est à Virgine, idèq; jure materno debet sibi vindicare, sanctissima Virgo hoc regnum, non impropriè & metaphoricè, sed propriè & verè. Necesse est enim, ut suprà diximus, ut filij regnum & imperium in matrem redeat jure naturali, non secundum aliquam similitudinem vel congruitatem, sed secundum omnem proprietatem & debitum naturale. Si Christus, inquit S. Epiphanius hæresi 78. Rex, profectò mater ejus est Regina.

D. Joannes Damascenus non minùs clarè idem expressit, lib. 4. de orthodoxa fide cap. 15. inquit: *Nam revera Domina facta est omnium creaturarum, cum Conditoris omnium effecta est mater.* Et Orat. 2. de Assumpt. Virginis: *Oportebat, inquit, DEI Matrem ea, quæ Filij erant, possidere, atq; ab omnibus rebus conditis, ut DEI Matrem adorari. Quamvis enim semper ita comparatum sit, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur, nunc autem sursum sacrorum fluminum fontes fluunt, etenim Filius Mater omnes conditas in servitutem adduxit.* Ubi paucis nonnulla sunt advertenda. Imprimis hoc verbum *Oportebat*, quo necessitas & non tantum congruentia hujus imperij seu potestatis Marianæ adstruitur, ex vi maternitatis Divinæ. Deinde eo modo potestatem illam competere sanctissimæ Virgini, quo illi competit adorari: at sic est, quod adorari competit sanctissimæ Virgini verè, & propriè ex affinitate speciali, quam habet ad DEUM, nempe ratione maternitatis, uti colligitur ex S. Thoma 2. 2. q. 103. a. 4. proinde quoque verè & propriè debet Virgini potestas illa spiritualis jure materno, & ex singulari affinitate ad Christum competere.

Lib. 3. in  
Cant.

Rupertus Abbas egregiè hoc ipsum adstruit, ita alloquens sanctissimam Virginem: *Coronaberis, inquit, ut in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum. ubi unq; enim predicatum fuerit illud de Dilecto (Filio tuo) dictum: Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum: predicabitur & de te, quòd sis, ó Dilecta, & mater hujus Coronati, & proinde Regina cælorum, totum jure possidens Filij regnum.* Et lib. 5. de eodem DEIPARÆ regno & dominio differens, ait: *Vident eam dominantem, & dominando possidentem regnum Dilecti, eo videlicet jure, quo deest Matrem possidere regnum Filij sui.* Alludit Rupertus ad coronationem regum:



regum : fuit quippe quondam gravissima inter Doctores disceptatio, an Imperatores, vel Reges electi, ritè & legitimè imperij seu regni negotia administrarent? an verò priùs debeant coronari? Quidquid sit de electione, certum est, ritè & legitimè imperium, vel regnum administrari ab Imperatoribus vel Regibus, ubi fuerint coronati. Cùm igitur sanctissima Virgo, sit Mater Regis coronati, juxta S. Joannem in sua *Apocalypsi* c. 19. optimè infert Rupertus eandem jure possidere regnum, jure nimirum materno.

S. Bernardus serm. in illud *Signum magnum*. Apocal. 12. *MARIA*, inquit, eo quod Mater DEI est, Regina Cælorum & Domina Mundi jure esse probatur. S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 29. §. 9. *MARIA* propter Christum Imperatrix, & Monarcha est mundi. Accedit his D. Anselmus lib. de excellent. V. cap. 9. Super hoc, inquit, cum ipsam Dominam, per quam tanta bona eis provenire præ oculis habuerint, juxta DEVM, quem de suo utero Virgo Filium peperit residentem, & jure materno celo terraq; cum eodem Filio suo præsentem, consideremus, quâ exultatione exultabunt pro tanta gloria ejus, quo honore subleventur in tanta potentia ejus? hæc ille. Loquitur Vir sanctus de Beatis in Cælo regnantibus; præmiserat enim gaudium & exultationem, quam recipiunt illi ex aspectu sacratissimæ humanitatis Christi in cælo, modo verò ad sanctissimam Virginem descendit, & gloriam eorum accidentalem ponderat ex eo, quod conspicere erit sanctissimam Virginem jure materno præsentem, & ut paulò infrà addit, *Dominam summam & unicam Dominatricem cæli & terre.*

Idem Anselmus describens Assumptionem gloriosissimæ Virginis sic ait: *Stipatus itaq; mille millibus, inò innumerabilibus Angelorum agminibus DEVS ipse huic piissimæ Matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamq; super omnes cælos exaltatam cuncta secum Creatura perenni jure dominaturam in throno gloriæ collocavit.* Et cap. 11. ejusdem libri: *Sicut ergo DEVS sua potentia parando cuncta, Pater, & DEVS omnium: ita Beata DEI Genitrix MARIA suis meritis cuncta reparando, Mater est, & Domina rerum: DEVS enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria jussione constituendo, & MARIA est Domina rerum singula congenita dignitati, per illam quam meruit gratiam restituendo, &c.* Hoc quoque confirmatur illis *Revelationum S. Brigittæ* verbis, quibus Sanctos apparuisse & Virgini Matri dixisse refert: *O Domina benedicta, Tu portasti Dominum in Te, & Tu Domina omnium*

Lib. cit. c. 33



*es. Quid est, quod non poteris? Quod enim Tu vis, hoc factum est.* Lib. 4. Revel. cap. 74. Non dissimilia neque pauca aliorum SS. Patrum ac Doctorum suffragia & testimonia idem DEIPARÆ Imperium ac Dominium attestantia reperiet Lector in supralaudato opere *Corone Ann. Mariani &c. mense Aprilis.* Consuli etiam poterunt de hoc argumento differentes P. Salazar in *Proverb. cap. 8. v. 15.* Barrad. *Tom. 1. lib. 6. cap. 3.* Novatus *Tom. 1. de Eminent. Deip. Virg. cap. 7. quest. 22.* & nobis Joseph à JESU-MARIA, in *Opere supra cit. lib. 1. cap. 16. & lib. 5. cap. 26.*

77.

Ex his omnibus non immerito deducitur, potuisse sanctissimam Virginem certum reddere B. SIMONEM nostrum de salute aeternae eorum, qui parthenium gerunt Scapulare, quantum est ex vi dictae spiritualis potestatis, quâ potitur in animas. Sive enim illam concederemus, quasi in actu primo, potuit velut Domina velle salutem eorum, qui hujusmodi habitu sacro insignirentur, imò verò hujusmodi habitum dedit in signum & tesseram superbenedictæ suæ voluntatis, uti supradiximus; sive in actu secundo ipsum videlicet usum & exercitium præfatæ potestatis, potuit Christus Dominus ex nutu & voluntate suæ sanctissimæ Matris statuissè conferre, singularia divinæ gratiæ auxilia & beneficia illis, qui sacrum Scapulare ritè gestaverint: cuius autem habeamus ex revelatione S. SIMONIS promissionem DEIPARÆ, dicendum videtur quantum est ex vi hujus spiritualis potestatis sic de facto contigisse. Ita ut verum sit, quantum est in hac parte, salvari Confratres, nisi hujusmodi auxilijs & beneficijs obstaculum posuerint, ingratoque respuerint animo. Quod si quæpiam dicat usum hujus potestatis esse in Christo, non verò in beatissima Virgine, & ideo non potuisse sanctissimam Virginem absolutè certum reddidisse B. SIMONEM de salute Confratrum quantum est ex vi hujus potestatis actualis, in quo res tota latet videtur; quandoquidem hujusmodi usus sit in alio positus, & consequenter hæc promissio dependeat ab alterius voluntate & beneplacito: nec sufficiet dicere, præsto esse & ad nutum DEIPARÆ Beneficentij sui voluntatem & beneplacitum, maximè cum Christus Dominus à patria sive pijsimæ Matris suæ potestate sit emancipatus. Divinitus enim, quæ Humanitatem non tantum sanctificabat, verum etiam alterius ordinis excellentias conferebat, hanc illi utiq; contulisse excellentiam est; quippe cum emancipatum esse, sit quoddam libertatis & excellentiæ genus. Pro



Pro resolutione propositæ difficultatis, sciendum est ex sancto Thoma 2. 2. q. 101. a. 3. pietatem esse virtutem, qua cultus parentibus exhibetur, sicut Religio est virtus, quâ cultus DEO tribuitur. Unde sicut Religio specialem habet rationem debiti hominis ad DEUM, ita pietas fundatur in debito speciali, nempe naturali filij erga parentes. Quod S. Doctor Angelicè exponit præsertim loco citato, & 2. 2. q. 101. a. 1. & 3. quidem art. 1. Hæc habet: Homo efficitur diversimodè alijs debitor secundum eorum diversam excellentiam, & diversa beneficia ab eis suscepta. In utroq; autem DEVS summum obtinet locum, qui & excellentissimus est, & est nobis essendi, & gubernationis primum principium, secundum verò nostri esse & gubernationis principium sunt parentes, &c. Et idè post DEVM est homo maxime debitor parentibus & patriæ. Unde sicut ad Religionem pertinet cultum DEO exhibere, ita secundo gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus & patriæ. Hæc ille. Nec minus clare in art. 3. eandem tradit doctrinam: *Aliqua, inquit, virtus specialis est ex hoc, quod respicit aliquod objectum solum secundum aliquam specialem rationem: cum ad rationem iustitiæ pertineat, quod debitum alijs readat, ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est specialis virtus. Debetur autem aliquid alicui specialiter, quia est connaturale principium producens in esse, & gubernans, hoc autem principium respicit pietas in quantum parentibus officium & cultum impendit, & ideo pietas est specialis virtus.*

NOTANDUM tamen est Christum Dominum, tametli nullis legibus humanis fuerit subiectus, nihilominus legi naturali secundum naturam humanam fuisse subditum; prout colligitur ex S. Thoma 1. 2. q. 94. nam, ut benè notat P. Suarez disp. 43. in 3. p. sect. 2. Tom. 1. obligatio legis naturalis est quasi proprietas intrinseca & connaturalis rationali naturæ, quæ non minus à Christo, quam ab alijs hominibus sejungi nequaquam potest. Unde sequitur, quod tenebatur lege illâ naturali, quâ obligantur filij erga parentes: adeoque servare pietatem respectu Matris; & licet ex vi potestatis excellentiæ ab omnibus sit liber, & nulli alijs potestati subiectus, non tamen patriam Matris potestatem excussisse dicendus est; tum ob præfatam rationem, tum etiam, quia spontaneè se Matri subiecit, ultra illud naturale pietatis debitum; ut patet ex illo Lucæ 2. *Et erat subditus illis.* In quæ verba D. Ambrosius: *Quid enim, inquit, Magister virtutis, nisi officium pietatis implet; non utiq; infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est.* quid apertius? Christum Dominum officium, hoc est, debitum pietatis, imple-



vissè docet Ambrosius, ergo ab illo debito immunis non erat. Germanam autem hujus rei rationem attigit sequentibus suprâ verbis: *Non utiq; infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est.* Quasi diceret: Nemo Christum patriâ potestate ideò liberum dicat, quasi infirmum sit, & tantæ Majestatis indignum alicui ex debito subijci: nam subjectio isthæc, & obsequium erga parentes, non est infirmitas aliqua vel servitus, sed pietas. Itaque licet ex Divinitatis commercio Christus Dominus liber sit, & nulli alteri potestati subiectus: tamen patriam potestatem non excussit.

78.

SS. Virgo  
habet in  
Christum  
Dñum pa-  
triam po-  
testatem,  
vi cujus  
dicitur ju-  
re mater-  
no obtine-  
re totum  
id quod  
petit, juxta  
plurimum  
SS. Patrum  
sententiâ.

(a) Serm. 1.  
de Nativ.  
Maria.

Ex his igitur responderetur ad propositam difficultatem, jure ipso naturali obtinere beatissimam Virginem in Christum Dominum patriam potestatem, ratione cujus exurgit debitum in Christo naturale pietatis erga Matrem, secundum rationem officij, & cultus, ut ex S. Thoma patet: cultus verò ad honorem & reverentiam ipsi exhibendam. Unde ex vi hujus non immeritò inferunt SS. Patres obtinere DEIPARAM à Filio, quod petit jure materno, & patriâ potestate. Ita affirmat S. Petrus Damianus: *Fecit, inquit (a) Tibi magna, qui potens est: & data est tibi omnis potestas in celo & in terra.* Et paucis interjectis subjungit: *Nihil Tibi impossibile est, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare.* Quomodo enim illa potestas potentie tue poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ad illud aureum humane reconciliationis altare non solum rogans, sed imperans; Domina non ancilla. Et S. Georgius Nicomed. de præsentatione Virginis: *Nihil tua, inquit, ô Domina resistit potentie, nihil repugnat tuis viribus: omnia cedunt tui jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tue potestati servant, omnia persequi citra laborem.* Euthimius de zona DEIPARÆ, sic illam interpellando, idem testatur: *Defende nos, ait, secundum magnam & copiosam misericordiam tuam, ô Domina; frange schedulam immensorum nostrorum malorum, tuis, que nunquam dormiunt, intercessionibus, ô Optima; nos ante specula concilia tuo, misericordie & jussu Audaci, Filio, & DEO: habes maternam, & infinitam apud DEVM fiduciam; potes enim tu omnia.*

S. Bernardus Hom. 1. sup. Missus est, sic infit: *DEVS, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat MARIÆ: non tantum MARIÆ, sed etiam IOSEPH propter MARIAM.* Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, sive Filij benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. *Viximq; stupor, utrimq; miraculum.* Et quòd



quod DEVS femina obtemperat, humilitas absq̄ exemplo est; & quod DEO femina principetur, sublimitas sine socio, &c. Hæc ille, qui alibi quoque impensè commendat MARIÆ potestatem & dominium, inquit: Non deest MARIÆ potestas, quia mater est omnipotentia: nec imperandi industria, quia mater est sapientia: nec voluntas, quia mater est misericordia.

Bernardo sancto concinit sanctus etiam Bernardinus his verbis: A tempore, quo Virgo Mater concepit in utero VERBUM DEI, quandam (ut sic dicam) jurisdictionem seu auctoritatem obtinuit, ita quod nulle creatura, aliquam à DEO obtinuit gratiam, nisi secundum ipsius pie Matris dispensationem: ideo omnia dona, virtutes & gratie ipsius Spiritus sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipsius ministrantur, tam in purgatorio, quam in terra.

Nec dissonat Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virg. Cùm eadem, inquit, sit potestas & communis Matris & Filij, quæ ab omnipotente Filio, omnipotens est effecta: quia non est potestas, nisi à DEO; unde dicit cum Filio: Data est mihi omnis potestas in celo & in terra; tamen excellenter potens est in Ecclesia triumphante. Unde dicit: In Hierusalem superna potestas mea: imperandi videlicet quidquid volo, tam virtutibus Angelicis, quam animabus sanctis, & quos volo in illud regnum introducendi. De illa enim verè dicit potest illud Eccl. 42. In omni necessitate omnia obediunt ei. Et lib. 2. Beata, inquit, Virgo pro salute famulantium sibi, non solum potest Filio supplicare, sicut alij Sancti, sed etiam potest auctoritate maternâ eidem imperare: unde sic oramus eam: Monstra te esse matrem; id est, quasi imperiosè & maternâ auctoritate supplica pro nobis Filio, &c. Agnovit quoque hoc SS. Virginis imperium Goffridus Cardin. serm. 8. Cateri Sancti, inquit, Dominum DEVM orant, & orando impetrant; sed honorabilis Virgo MARIA, si illum ex eo, quod DEVS & Dominus est, exorare merito creditur: ex eo tamen, quod homo est, & natus ex ea, quasi quodam matris imperio, apud ipsum impetrare, quidquid voluerit piâ fide non dubitatur. Nam si quilibet Sanctus apud Iudicem obtinet, quidquid sibi jure debetur, hæc quæ est mater Iudicis, omnium Sanctorum Domina, jure matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim materni juris apud filios dignitate sublimes, ut si matres eorum, eos sæpius rogent, quia Domini sunt, eis etiam aliquando quasi imperent, quia filij sunt. Bonum utiq̄ nature, quod DEVS hominibus dedit, nunquam sibi, qui est summum, & à quo bona cuncta procedunt, negabit. Et quod hæc beatissima Virgo mater Domini fecisse legitur in terris, immeritò facere dubitaretur in celis. Nam vino deficiente

MARIA jure  
materno  
Filium pro  
nobis oran-  
do, ei quæ  
imperat.



nuptiarum in Cana Galilææ dixit mater IESV ad IESVM, Vinum non habet  
 ac si ea ipsi præciperet, ut ipse faceret. Hoc bona Mater pietate quidem præcepit,  
 quod bonus Filius piâ obedientiâ complevit. Divus Antoninus, Oratio, in  
 quit, Sanctorum non innititur alicui rei ex parte sua, sed tantum misericordiam  
 ex parte DEI; oratio autem Virginis innititur gratiæ jure naturali, & Tollit  
 Evangelij: nam Filius non tantum tenetur audire Matrem, sed & obedire  
 juxta illud Apostoli: Filij obedite parentibus vestris, quod etiam est de jure  
 natura. Et iterum: Oratio DEIPARÆ est nobilissimus orandi modus; tum quia  
 habebat rationem jussionis & imperij; tum quia impossibile est eam non excelsè  
 juxta illud, quod in figura ejus dixit Salomon matri suæ Bethsabæe, cum aliquis  
 petere vellet: Pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.  
 Reg. 2. c.

4. part. tit.  
 15. c. 17.  
 §. 4.

Modus orandi Dei-  
 paræ est  
 nobilissi-  
 mus, quia  
 habet ra-  
 tionem jus-  
 sionis &  
 imperij.

Habuit ergo sanctissima Virgo sufficiens fundamentum ad cre-  
 tum reddendum B. SIMONEM nostrum de salute eorum, qui in  
 sacrum suum gestant Scapulare, ex vi potestatis suæ spiritualis. Quod  
 quanquam usus talis potestatis Filio suo reservatus, in sensu supra  
 dicto, cum tamen adsit debitum naturale Filij erga Matrem, creden-  
 da est jure materno uti, in actuali salute suorum Confratrum, & qui-  
 dem efficaciter, efficaciam quæ conjunctum habeat effectum, modo  
 per rebelles suas non obstant voluntates.

79.

Utrum, &  
 quâ certi-  
 tudine cer-  
 tus sit de  
 sua æterna  
 salute Ma-  
 rianum riti-  
 tæ gerens  
 Scapulare?

DICES: Ex dictis hic & in superioribus sequi, gestantem Ma-  
 rianum Scapulare certum esse de sua æterna salute ac prædestinatione  
 quod non modo sanæ Theologiæ, verum etiam sacræ Scripturæ  
 pugnat, quæ affirmat incertum esse, an homo amore, aut odio dig-  
 nus sit, sed omnia in futurum servari incerta.

RESPONDEO: Talem fore certum certitudine morali, quæ  
 admodum certus est de eadem æterna salute, qui Christianè vivit,  
 sacram Eucharistiam sumit, &c. Quod nemo diffitebitur Theologus  
 qui in hac materia metaphysicam solum certitudinem non admittit  
 (cui falsum subesse nequeat) Confrater verò certus esse metaphysicè  
 nequit. *Primo*, quia nescit, an sit perseveraturus &c. *Secundo*, quæ  
 esto non sit sibi conscius delicti, prudenter tamen dubius hæere po-  
 test, num occulta habeat aliqua, quæ debito Confraternitatis ritu,  
 aut muneri sint opposita, ob quæ proinde potius odio quàm amore  
 DEIPARÆ Virginis dignus sit, &c.

DICES *secundo*: Ex dictis sequi, hominem qui in vita Mariæ  
 num



num habitum ritè gestaverit, atque sic in eo obierit, posse eo ipso inter Sanctos referri ab Ecclesia, atque à Fidelibus invocari, quod quam sit absurdum quis nò videat? Respondet ad hoc P. Irenæus hujusmodi absurdum inferri perabsurdè, cum adversus Sacramenta similiter militet objectio. Sic enim retorquet argumentum. Fide sanctum est, eum beatà visione munerandum, qui Pœnitentiæ sacramento purgatus fuerit, ritèque Viaticum & extremam Unctionem acceperit: At vidimus Petrum eo in statu morientem: Ergo referendus est in Catalogum Sanctorum. Hoc in argumento vera est major, incerta minor & conclusio, quæ Logicorum ex placito debiliorem sequitur partem. De Scapulari idem sentiendum: nam esto major propositio sit vera, *omnis, qui ritè moritur in Scapulari, salvatur*: minor tamen est nobis dubia, qui ad oculos judicamus; *sed Petrus in Scapulari ritè est mortuus*. Unde negatur hæc consequentia, *Ergo eo ipso est describendus in Catalogo Sanctorum*.

Quare in casu utriusque syllogismi, dicendum est, neminem ab Ecclesia coli inter Sanctos, donec à DEO habuerit revelationem, quæ factam minorem propositionem certò suadeat, sive per miracula, sive per aliam viam. Nam quemadmodum potest aliquis secundum hominem videri ritè confessus ac sacrâ Eucharistiâ refectus, esto talis non existat secundum DEUM, qui intuetur cor: ita potest videri ritè mortuus in Scapulari, esto coram DEO secus se res habeat. Mitto omnia ejusmodi argumenta posse retorqueri adversus cuncta similia privilegia, quæ passim leguntur in sacris paginis, Sanctorum historijs, revelationibus, &c.

VERUM circa ea, quæ in superioribus tradidimus, cæteraque similia, extrema duo sibi invicem opposita, at æquè periculosa impensè vitanda monet R.P. Leo à S. Joanne in *Typo vestis Religiosæ sectione nona*, his verbis:

Ex ijs, qui de pietatis exercitijs sentiunt, alij humanæ rationi supra modum addicti *plus sapere volentes*, quam sobriè requirat *J. sta mediocritas*, ita Rosario, Funiculo D. Francisci, Cingulo S. M. nicæ, Scapulari, cæterisque in Ecclesia antiquissimis utilissimisq; rebus fidem derogant, ut in *omnibus* quandam prolapsi, iberas nugas, & solum devoto femineo sexui idoneas reputent. Cum ab omni tamen ævo, maximâ sanctitate & doctrinâ viri, ea simplicitatis & virtutis

P 3

exercitia

sect. 1. cap. 3. §. 5.

Utrum ille inter Sanctos referri possit, qui hinc decedens pœnitentiæ Sacramento purgatus, Viaticum & extremam Unctionem ritè percipit?

Et quid de ritè gerentibus sacr. Scapulare dicendum?

80.

Duo extrema in quibusvis pietatis exercitijs vitanda sunt: & quænam illa: ac quare?



*Rom. c. 10.* exercitia mirum in modum coluerint. In diversum abeunt, qui *colorem DEI habentes, sed non secundum scientiam* nimiam superstitione, ita ejusmodi peculiaribus exercitijs abutuntur, ut cæteris ad salutem necessarijs medijs, quasi posthabitis, satis se beatos existiment, si eorum alicui exercitio tenaciter adherescant. Quos è duobus laudem, habet scio; neutrum sanè probarim, quia utrumque video in Christiana Religione periculosissimum: hinc nimiam, illinc nullam Religionem irrepente.

*Virg. Æneid. 3.*

*Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem impropria; vos insensari vitam illorum existimabamus insania, & finem illorum sine honore, Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Sap. 5.*

*S. Gregorius Mag. lib. 2. Dialog. c. 14.*

*Non sufficit ad salutem Scapularis gestatio: &*

*Dextrum scylla latus, levum implicata charybdis obsidet.*

Iis certè, qui per contemptum, vel Rosario, vel Scapulari reliquisque non modo non utuntur, verum etiam justorum simplicitatem rebus illis pie, ut decet, utentium irridet, dixerim verò paululum immutatis, quod olim Philo Judæorum disertissimus; nullo guttam simplicis ac veræ pietatis, quam secularis & incredulæ pietatæ vas plenissimum. Et hos quoque DEUS aliquando irridet.

Iis autem, qui rebus devotissimis nimia fiducia, aut superstitione abutuntur: sibi que certissimos cæli favores pollicentur ex eo quod præcisè vel in Virginis apud Patres Jesuitas Sodalitio, vel in Rosario apud PP. Dominicanos Confraternitate adscripti sint, vel habitum à beatissima Virgine Carmelitis concessum in vita gestaverint, sine exactissima divinorum præceptorum observantia; imò etiam speciali cultu pietatis, ad quem videntur ijs exercitijs invitari, his, inquam, in extremo mortis agone non abs re dictura est beatissima Virgo, quod beatus olim Benedictus satrapæ cuidam & militi Totilæ Gothorum Regis pomposo cultu & stipatu Regiam Magnæ gentem fingenti sapientissimè objecit: *Depone, fili, depone, quod cum per te tuum non est.* Nam quid frustra Religionem vultu personato emittimur? nostrum nullum est SCAPULARE, nullus habitus, nullum in mortis articulo Virginis auxilium, patrociniumve, nisi exteri SCAPULARIS gestationi interior virtutum cultus utique correspondeat. Esse tamen maximum, & ingens privilegium, & esse summè omnibus colendum, nemo, eo quo dixi sensu, audebit negare. Et quo patet Catholicâ conclusione, quâ ratione fiat, ut *atervnum non tiantur incendium*, quotquot beatæ Virginis Carmelitarum Patrocultui sese specialiter manciparunt, & hujus servitutis indicium tesseram Virgineum Scapulare gestaverunt; si nimirum hæc gestatio

Scap-



Scapularis cum alijs medijs ad salutem ex se necessarijs, conjuncta sit. non quisq; responder  
Quæ media pia Mater, in virtutem inita per habitum Confraterni- gratijs spe-  
tatis, abundantius subministrabit cum toto vitæ curriculo, tum præ- cialibus,  
sertim in ultimo mortis articulo; si eam Christi & Christiparæ mu- quas acci-  
nificentiam homo non aspernetur. Itaque hoc sensu quicunque ha- pit à Chri-  
bitum Virginis habens, motibus illis ad salutem necessarijs, sibi à sto Virgi-  
Christo, Virgine Matre exorante, ob initam Confraternita- nis preci-  
tem (cujus nota est SCAPULARE) peculiariter con- bus & in-  
cessis fideliter obedierit, *eternum non patietur* tercessio-  
*incendium.* ne.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



PARS